

John Jandun, Questions on Aristotle's Rhetorica

Bo Bologna, BU, 1625. 114ra-141rb
 B Bruxelles, BR, 2916/868. 372ra-401rb. SE
 E Erfurt, WAB, Ampl. 2° 13. 121ra-151vb
 L Leipzig, UB, 4° 1246. 264-323v (year 1452). 01-253
 Le Leipzig, UB, 4° 1247. 242r-302v (year 1457). 01-251
 Lü Lübeck, HB, Philos. 2° 3. 262vb-321rb. SE
 K Klosterneuburg, SB, 749. 1r-28vb. 01-428
 P Padova, BU, 1472. 262ra-286rb (year 1407). 01-272

At least two redactions: 1: B, E & L. 2: K

Transcription: Bernadette Preben-Hansen (1990). Some questions (from book 1 and 3) were transcribed by Sten Ebbesen

*Kvæstions rækkefølgen er her anført efter a-versionen mss L [basis] E & B I parentes er anført kvæstionsrækkefølge efter b-versionens K [Schmugge 1966 list of questions p135-139]

*Quaestiones in liber primum

*L 264r-308v

*B 372ra-401rb

*P 262r-281r

*K 1r-21v

#1 1 (2) Utrum rhetorica sit assecutiva dialecticae

*L 264r-265r Le 242r-243v B 372ra-372va P 263vb-264rb K 2rb

*(AL 159 1)

#1 2 (3) Utrum sermones passionales seu passionati pertineant ad rhetoricam

*L 265v-267r Le 243v-245r B 372va-373rb P 264rb-264vb K 3ra

*NUNC QUIDEM IGITUR (AL 159 13-14)

#1 3 (4) Utrum paucissima sint committenda iudicibus

*MAXIME QUIDEM IGITUR (AL 160 7)

*L 267r-269r Le 245r-246v B 373rb-374ra P 265ra-265va K 3va

#1 4 (5) Utrum amare et odire seu amor et odium pervertant iudicium

*OMNIUM AUTEM MAXIMUM (AL 160 14)

*L 269r-270v Le 246v-247v B 374ra-374vb P 265va-266ra K 4ra

#1 5 (6) Utrum rhetorica sit alicuius generis determinati

*QUOD QUIDEM NON EST ALICUIUS UNIUS (AL 162 24)

*L 270v-271r B 374vb-375ra P 266rab K 4vb

#1 6 (7) Utrum persuadere sit opus rhetoricae

*L 271rv B 375rab P 266rb-va K 4vb

*Consequenter quaeritur (AL 162 26-27)

#1 7 (8) Utrum aliquis sit dialecticus secundum electionem

*L 271v-272r B 375rb-va P 266v K 5ra

*AD HEC AUTEM QUOD EIUSDEM (AL 162 31)

#1 8 (9) Utrum rhetorica sit pars dialecticae

*L 272v B 375vab P 266vb-267ra K 5rb

*QUARE ACCIDIT RHETORICAM (AL 164 17)

#1 9 (10) Utrum omnis ostensio reducatur ad sillogismum vel inductionem

*EARUM AUTEM QUAE <PER>OSTENDERE (AL 164 28)

*L 273r-274r B 375vb-376rb P 267ra-b K 5va

#1 10 (11) Utrum enthymemata rhetorica differant ab enthymematibus aliarum scientiarum

*L 274r B 376rb-376vb P 267rb K 6ra

*ENTHYMEMATUM AUTEM (AL 168 18)

#1 11 (12) Utrum enthymema persuasivum sit subiectum de quo est rhetorica

*L 275rv B 376vb-377ra P 267v K 6va

*Consequenter quaeritur (AL 16)

#1 12 (13) Utrum loci dialectici et rhetorici sunt idem

*L 275v B 377rab P 268ra K 6va

*Consequenter quaeritur (168 25)

#1 13 (14) Utrum ad rhetoricam spectet considerare enthymemata constituta ex propositionibus specialibus

*L 276r B 377rb-377va P 268ra K 6vb

*PROPRIA AUTEM QUAECUMQUE (AL 169 3)

#1 14 (15) Utrum de rebus speculabilibus et specialibus possint fieri rationes rhetoricae

*L 276v-278r B 377va-378rb P 268rb-268vb K 6vb

*Consequenter quaeritur

#1 15 (16) Utrum negotiorum civilium sint tres fines solum

*L 278r-279r B 378rb-378vb P 268vb-269ra K 7va

*SUNT ITAQUE SPECIES RHETORICAE (AL 169 22)

#1 16 (17) Utrum ad rhetorem pertinet considerare de felicitate

*L 279rv B 378vb-379ra P 269rab K 8ra

*EX QUIBUS AUTEM OPORTET (AL 174 20)

#1 17 (18) Utrum felicitas habeat partes

*L 279v-280r B 379ra-379va P 269rb-269va K 8ra

*Consequenter quaeritur (AL 174 23)

#1 (19) Utrum pulchritudo corporis arguit bonitatem animae ita quod pulchriores in corpore sunt meliores quoad animam

*% E L B P! K 8va (cf AL 175 8 ?)

#1 18 (20) Utrum antiquitas civitatum pertineat ad nobilitatem gentis et civitatis

*L 280r-281r B 379va-380ra P 269va-270ra K 9ra

*SUMAMUS IGITUR UNUMQUODQUE QUID EST (AL 175 17)

#1 19 (23) Utrum robur sit pars felicitatis

*L 281r-282r B 380ra-380vb P 270ra-270va K 10va

*GRATIA PRAEDICTORUM QUAERITUR

*(cf AL 175 5-)

#1 20 (24) Utrum bona fortuna sit pars felicitatis

*L 282r-285r B 380vb-382rb P 270va-271vb K 11rb

*Consequenter quaeritur (AL 175 10)

#1 21 (29) Utrum aliquid quod nullus homo habet sit bonum

*L 285v B 382rb-382va P 272ra-b K 13ra

*ET QUAE NULLUS <AL 182 12>

#1 22 (30) Utrum diffinitio legis proprie quam ponit Aristoteles in littera sit bona

*L 285v-286r B 382vab P 271vb-272ra K 13rb

*DE ACCUSATIONE AUTEM (AL 195 8)

#1 23 (21) Utrum divitem esse magis consistat in usu divitiarum quam in possidendo eas

*L 286r-287r B 382vb-383rb P 272rb-272va K 9va

*Consequenter quaeritur (AL 176 20)

#1 24 (22) Utrum sit iustum maxime honorare illos qui beneficia praestiterunt

*L 287r-288v B 383rb-384rb P 272va-273rb K 9vb

*HONOR AUTEM EST (AL 176 24)

#1 25 (25) An fortuna sit causa quorumcumque natura sit causa

*L 288v-289r B 384rb-384ra P 273rb-273va K 12va

*BONA FORTUNA AUTEM (AL 178 23)

#1 26 (31) Utrum sanitas sit causa effectiva ipsius vivere et delectationis

*L 289r-290r B 384ra-385ra P 273va-274ra K 13va

*SANITAS AUTEM (AL 180 12)

#1 27 (26) Utrum illud sit bonum cuius contrarium est malum

*L 290rv B 385rab P 274rab K 12va

*IN DUBIIS AUTEM (AL 180 26)

#1 28 (27) Utrum illud sit bonum aliquibus civibus in cuius contrario gaudent inimici eorum

*L 290v-291r B 385rb-385va P 274rb K 12vb

*Consequenter quaeritur (AL 181 2-3)

#1 29 (28) Utrum id sit bonum quod laudant mali et insana

*L 291r B 385va-385vb P 274rb-274va K 13ra

*Consequenter quaeritur (AL 181 16)

#1 30 (32) Utrum ista regula sit vera: Si optimum unius generis est melius optimo alterius generis totum illud genus cuius optimum est melius excedat ad totum genus

*L 291v-292v B 385va-386rb P 274va-275ra K 14ra

*QUONIAM AUTEM SAEPE CONFITENTES (AL 182 19)

#1 31 (33) Utrum illud quod potest esse sine alio et non econtra sit melius illo

*L 292v-293r B 386rb-386va P 275rab K 14va

*ET QUANDO HOC QUIDEM SEQUITUR AD HOC (AL 183 9)

#1 32 (34) Utrum bonum quod est cum invidia sit melius eo quod est sine invidio

*L 293rv B 386va-387ra P 275rb-275va K 14vb

*Consequenter quaeritur (AL 184 12-13)

#1 33 (35) Utrum illud quod est difficilium sit melius

*L 294r-295r B 387ra-387vb P 275va-276va K 15ra

*Consequenter quaeritur (AL 184 17) ?

#1 34 (36) Utrum delectatio sit appetibilis propter se aut gratia sua

*L 295rv B 387vb-388ra P 276rab K 15va

*ET DELECTABILIS (AL 185 17)

#1 35 (37) Utrum melius sit bene agere quam bene pati

*L 295v-296v B 388rab P 276rb-276va K 15vb

*Consequenter quaeritur (AL 185 16)

#1 36 (38) Utrum bonum quod non latet praesens existens sit melius quam quod latet

*L 296v-297r B 388rb-388vb P 276vab K 16ra

*Consequenter quaeritur (AL 187 22)

#1 37 (39) Utrum ad istam scientiam pertineat considerare de virtute

*L 297rv B 388vb-389ra P 276vb-277ra K 16va

*POST HAEC AUTEM DICAMUS DE VIRTUTE (AL 189 8)

#1 38 (40) Utrum fortitudo sit melior virtus quam liberalitas

*L 297v-298r B 389rab P 277ra K 16vb

*Consequenter quaeritur (AL 189 25)

#1 39 (41) Utrum latronem suspendi iuste sit pulchrum et honestum

*L 298rv B 389rb P 277rb K 17ra

*QUONIAM AUTEM SIGNA (AL 190 21)

#1 40 (42) Utrum mortuo insint aliqua bona

*L 298v-299r B 389rb-389va P 277rb-277va K 17ra

*ET QUECUMQUE MORTUO (AL 191 5)

#1 41 (43) Utrum virtutes virorum sint meliores virtutibus mulierum

*L 299rv B 389va-390ra P 277vab K 17rb

*ET NATURA STUDIOSORUM ETIAM (AL 191 16)

#1 42 (44) Utrum bona quae inexistunt uni soli sint meliora

*L 300rv B 390ra-390va P 277vb-278ra K 17vb

*(AL 191 24)

#1 43 (45) Utrum ad laudandum aliquem liceat accipere aliqua sive illa quae sunt propinqua virtutibus loco virtutum

*L 300v-301r B 390vab P 278rab K 18ra

*SUMENDUM AUTEM (AL 192 6)

#1 44 (46) Utrum diffinitio delectationis quam ponit in littera sit bona

*L 301r-302r B 390vb-391rb P 278vab K 18rb

*SUMENDUM ERGO CONFERENTIA (AL 198 27)

#1 45 (47) Utrum adiscere et mirari sit delectabile

*L 302r-303r B 391rb-391vb P 278vb-279ra K 18vb

*ET ADDISCERE ET MIRARI (AL 202 19)

#1 46 (48) Utrum unum simillium delectet alterum

*L 303r-304v B 391vb-392va P 279rb-279va K 19rb

*Consequenter quaeritur (AL 203 3)

#1 47 (49) Utrum increpare et subicere sibi vicinos sit delectabile

*L 304v-305r B 392vab P 279vab K 19vb

*ADHUC AUTEM QUI AMATORES HONORIS (AL 203 20)

#1 48 (50) Utrum illa iniustitia vel iniuria sit maior quam aliquis fecit solus

*L 305r-306r B 392vb-393va P 279vb-280rb K 20ra

*INUJUSTITIAE AUTEM MAIORES (AL 211 16)

#1 49 (51) Utrum magis peccet ille qui peccat contra iura scripta quam qui contra iura non scripta

*L 306r-307v B 393va-394va P 280rb-280vb K 20va

*Consequenter quaeritur (AL 212 19)

#1 50 (52) Utrum persuasio per leges sit artificialis

*L 307v-308v B 394va-395ra P 280vb-281rb K 21vab

*DE VOCATIS AUTEM INARTIFICIALIBUS (AL 213 1)

*Expliciunt quaestiones super primum Rhetoricae

*L 308v

*B 395ra

*P 281rb

*K 21vb

#Quaestiones super secundum et tertium Rhetoricae

*L 308r-318r

*B 395r-401r

*P 281r-286r

*K 21v- 27r

#2 1 Utrum contingat prudentem et iustum non optima consulere

*L 308v-209r B 395rab P 281rb-281va K 21vb EX QUIBUS QUIDEM IGITUR (AL 220 3)

#2 2 Utrum ad istam scientiam pertineat considerare passiones animae

*L 309r-310r B 395va-396ra P 281vab K 22rb

*SUNT IGITUR PASSIONES (AL 221 17)

#2 3 Utrum ad omnem iram sequatur aliqua delectatio

*L 310rv B 396ra P 281vb-282ra K 22vb

*ET AD OMNEM IRAM (AL 222 2)

#2 4 Utrum malum inopinatum magis contristet quam opinatum

*L 310v-311r B 396rb P 282rab K 22vb

*ADHUC SI CONTRARIA RES EXTITERIT (AL 224 7?)

#2 5 Utrum aliquis magis irascitur amico suo male dicenti vel male facienti ei quam inimico vel alteri

*L 311rv B 396vab P 282rb-282va K 23ra

*AMICIS AUTEM SI NON BENE DICANT (AL 225 8)

#2 6 Utrum oblivio sit factiva irae

*L 311v-312r B 396vb-397ra P 282va K 23va

*Consequenter quaeritur

#2 7 Utrum homines ydonei ad ridendum sint amabiles

*L 312r B 397ra P 282vab K 23va

*QUOS AUTEM AMANTUR (AL 228 10)

#2 8 Utrum homines qui dant mala sua aliis sint amabiles

*L 312rv 397rab P 282vb K 23vb

*ET NON FICTOS AD SE IPSOS (AL 230 8)

#2 9 Utrum odium sit ad genera

*L 312v B 397va P 283ra K 24ra

*Consequenter quaeritur

#2 10 Utrum homines timeant mortem

*L 313r B 397vab P 283ra K 24ra

*QUALIA AUTEM TIMENT (AL 231 8)

#2 11 Utrum laudare praesentem sit verecundum

*L 313rv B 397vb-398ra P 283rab K 24rb

*QUALIA AUTEM ERUBESCUNT (AL 234 13)

#2 12 Utrum senes sunt acutae irae

*L 313v B 398rab P 283rb-283va K 24va

*SENES AUTEM (AL 248 17)

#2 13 Utrum nobiles sint amativi honorum

*L 314r B 398rb-398va P 283va K 24vb

*DE HIIS AUTEM QUAE A FORTUNA (AL 250 24)

#2 14 Utrum aliquis volens et potens facere aliquid non existente impedimento faciat illud aut possit illud non facere omnino

*L 314r-315v B 398va-399va P 283va-284rb K 24vb

*HIIS AUTEM DETERMINATIS (AL 253 21)

#2 15 Utrum homines ineruditi sint magis persuasivi quam eruditi

*L 315v-316r B 399vab P 284rb K 25vb

*DE ENTHYMEMATIBUS AUTEM (AL 262 5)

#Quaestiones super tertium

#3 1 Utrum rhetor debeat uti ypocrisi seu ypocrisare

*L 316r-317r B 400ra-400va P 284r-285r K 26rv

*QUONIAM AUTEM TRIA SUNT QUAE OPORTET TRACTATA ESSE (AL 281 1)

#3 2 Utrum ad rhetorem pertineat uti metaphoris (AL 283 13)

*L 317rv B 400va-401ra P 285r K 26v-27r

*ET DETERMINETUR VIRTUS LOCUTIONIS (AL 283 13)

#3 3 Utrum aliquem exprimentem mentis conceptum congrue contingat turpiter loqui

*L 317v-318r B 401rab P 285ra-b K 27ra

*Consequenter quaeritur (cf AL 286 12)

#JAND[1 1

#JAND[1 2

Circa libros Rethorice queritur primo an rethorica sit assecutiua dialectice Et arguitur quod non, quia unum contrariorum non est assecutiuum alterius ut manifestum uidetur immo corruptiuum Corruptiua enim sunt ad inuicem contraria secundum Aristotelem in primo De Generatione et secundo Sed rethorica et dialectica sunt contraria primo quia secundum speciem differentia est contrarietas ut dicit Aristoteles in septimo Metaphisice et sic uidetur quod illa que differunt secundum speciem sunt contraria Nunc autem dialectica et rethorica differunt secundum speciem ut uidetur esse manifestum Sunt enim diuersi habitus intellectuales per se distincti et non solum secundum accidens ut manifestum est, quare etc.

Item, si rethorica esset assecutiua dialectice hoc esset pro tanto quia ambe sunt de quibusdam talibus que quodammodo omnium est cognoscere nullius autem determinate Hanc rationem ponit Philosophus in littera

Sed propter hoc non potest dici quod rethorica sit assecutiua dialectice +Primo quia contingat+ secundum Aristotelem in isto primo quod rethorica principaliter considerat de enthimemate persuasio et istud non pertinet communiter ad omnes scientias immo determinate ad rethoricam Similiter dialectica est de sillogismo dialectico quem constat non ad omnes scientias pertinere, quare etc.

Item, nulla pars scientie ciuilis est assecutiua dialectice Hec uidetur manifesta quia scientia ciuilis est moralis et dialectica rationalis et sermocinalis Sed rethorica est pars scientie ciuilis ut uidetur uelle Aristoteles primo huius capitulo 'Rursus igitur' prope finem ubi dicit quod accidit rethoricam esse uelut adunatam quandam partem negotii quod circa mores quod iustum est appellare politicum et hoc plane dicit Tullius in primo sue ueteris Rethorice ubi sic dicit "quare hanc oratoriam facultatem in eo genere ponemus ut eam ciuilis scientie partem esse dicamus", quare etc.

Oppositum dicit Aristoteles in isto libro in principio

Considerandum quod sicut dicit Expositor et bene assequi aliquod est ipsum imitari uel ei conformari quod pro eodem accipio Aliquid autem imitatur aliquid uel ei conformatur dupliciter uno modo imitatione perfecta alio modo imitatione imperfecta et diminuta Imitatio quidem seu conformatio perfecta unius ad alteram est cum unum conuenit cum alterum in omnibus condicionibus prout est possibile Sicut contingit aliquem filium conformari suo patri in omnibus condicionibus prout est possibile scilicet in magnitudine figura colore moribus robore et huiusmodi Imitatio uero imperfecta est cum aliquid conformatur alterum in aliquibus tantum et in aliis deficit ut si filius conformatur patri in colore et magnitudine et differat in figuram moribus et huiusmodi et talis imitatio differt secundum magis et minus secundum quod aliquid in pluribus condicionibus differt ab alio uel conueniat cum eodem Ulterius considerandum quod rethorica conformatur dialectice primo in hoc quod utraque considerat aliquem actum rationis per quem ratio peruenit ad cognitionem ignoti Secundo in hoc quod ambe utuntur talibus propositionibus que sunt constitute ex terminis communibus ad confirmandum suas ratiocinationes ut hac propositione 'de similibus simile est iudicium' 'Contraria non sunt simul in eodem' et huiusmodi que dicuntur maxime propositiones

Item, conueniunt in hoc quod nulla earum per instrumentum quod considerat facit certam cognitionem de conclusione sed incertam cum formidine ad oppositum Differunt etiam ab inuicem secundum multa Primo quia actus rationis quem considerat dialectica scilicet sillogismus dialecticus est perfectior quam ille quem considerat rethorica scilicet enthimema ut patet ex logica Secundo differunt in hoc quod rethorica illas maximas quibus utitur applicat ad pauciores conclusiones quam dialectica Nam rethorica proprie loquendo solum persuadet circa res ciuiles seu morales et utitur illis propositionibus ad huiusmodi conclusiones ciuiles que dicuntur conclusiones hypotheses ut dicit Boethius in quarto suorum Topicorum et hoc satis innuit Tullius in primo sue noue Rethorice ubi dicit "officium oratoris est de hiis rebus dicere posse que res ad usum ciuilem moribus et legibus constitute sunt" Dialectica uero utitur huiusmodi propositionibus ad plures conclusiones uel ad conclusiones plurium generum scibilium puta mathematicorum et diuinorum

Item, differunt tertio quantum ad notitias quas inducunt per sua instrumenta nam rethorica generat notitiam debiliorem et magis remotam a certitudine quam sit illa que fit per dialecticam et huiusmodi differentie ratio est quia conclusiones de rebus ciuilibus que sunt opera humana propter uarietatem et tranmutationem humanarum rerum sunt minus certitudinaliter et debilius cognoscibiles quam conclusiones que sunt de rebus specialibus maiorem uniformitatem et fixationem habentibus et hoc satis docuit Aristoteles in primo Ethicorum ubi sic dicit "bona autem et iusta de quibus ciuilibus intendit tantam habent differentiam et errorem ut uidentur autem lege sola esse natura autem non" etc

Et sciendum quod notitia quam facit sillogismus dialecticus dicitur opinio illa quam generat rethorica dicitur ab aliquibus fides et ab aliquibus coniecturatio

Item, est alia differentia bene notabilis quia dialectica utitur sillogismo dialectico ad talia entia de quibus per se loquendo non peruertitur iudicium propter passiones existentes in appetitu uidelicet propter amorem uel odium uel iram uel inuidiam ut de illa conclusione quod celum non habet materiam uel quod forma per se generetur per se loquendo ex natura rei non peruertitur iudicium propter amorem uel odium alterius hominis qui tenet talem uel talem opinionem Cum enim aliquis amat alium libentius adheret opinionibus eius et cum odit ipsum libentius nititur improbare opiniones eius sed hoc non accidit ex natura talis rei speculabilis Sed ipsa rethorica utitur ipso enthimemate persuasio ad talia de quibus iudicium rationis uariatur et interdum peruertitur amore uel odio ipsius rei Cum enim iudex odit aliquem reum ipse amat aut desiderat eius punitionem et ideo facilliter iudicat ipsum puniendum et econtrario cum ipse amat eum iudicat facilliter ipsum esse absoluendum et sic de similibus Hiis premissis potest dici ad questionem quod ipsa rethorica est assecutiua dialectice saltem assecutione non omnino perfecta quod patet ex dictis Nam illa ars assequitur dialecticam que in aliquibus conformatur dialectice et in aliquibus deficit Rethorica autem <est> huiusmodi ut manifestum est, quare etc. et potest ostendi ratione quam innuit Aristoteles in littera scilicet quia ambe sunt de talibus quibusdam que communiter omnium est cognoscere et nullius determinate Ambe enim considerant quodammodo communia que in sua communitate sumpta non pertinent precise ad aliquam unam scientiam ut simile contrarium genus species et huiusmodi Ista tamen quoddammodo cognoscuntur ab omnibus scientiis scilicet in specialibus rebus et naturalis philosophus licet non considerat genus in communi tamen considerat hoc genus quod est animal similiter/?/ et in aliis suo modo Sed est hic dubium quia per istud medium Aristoteles non uidetur probare quod rethorica sit assecutiua dialectice magis quam econuerso scilicet per hoc quod ambe sunt de talibus etc et forte dicendum est quod quamuis ambe sunt de talibus communibus tamen quia rethorica applicat ad conclusiones paucorum generum et facit per ea minorem certitudinem quam dialectica ideo potest dici assecutiua dialectice magis quam econuerso

Ad primam rationem potest dici quod licet unum contrariorum ut contrarium est non sit assecutiuum alterius tamen secundum aliquam condicionem in qua conformatur ad inuicem non est inconueniens sicut simea licet secundum dispositiones aliquas sit contraria homini tamen quia in aliquibus proprietatibus conformatur ipsi ideo est bene assecutiua ipsius hominis et cum dicitur in minori quod rethorica et dialectica sunt contraria potest negari quia contraria non possunt esse simul in eodem subiecto indiuisibili Nunc autem rethorica et dialectica sunt in eodem subiecto indiuisibili scilicet in intellectu et ad probationem potest dici quod Aristoteles non accipit ibi proprie et stricte contraritatem pro oppositione que est inter duas formas eiusdem generis quarum una est expulsua alterius in eodem subiecto Sic enim intelligentie non essent differentes secundum speciem quod reputatur communiter impossibile sed accipit contraritatem communem pro diuersitate formarum per se diuersarum quarum una est perfectior alia et sic est hic Uerum tamen est omnino cum diuisio generis sit quod per oppositum est et opposita quocumquemodo oppositis non possunt simul esse in eodem secundum idem qualiter due species eiusdem generis possunt simul esse in intellectu utpote due scientie differentes nisi forte dicatur quod scientia non est genus ad scientias speciales sed solum analogum De hoc autem non determino ad presens

Ad aliam dicendum est per distinctionem nam dialectica et rethorica considerant de aliquibus tamquam de propriis subiectis de quibus demonstrant et sic non est de talibus communibus que omnium sit cognoscere et considerant de aliquibus quibus utuntur ad confirmandum suas consequentias uel ratiocinationes ut similicontrario generespecie et huiusmodi et sic sunt de talibus quodammodo etc Ad aliam potest dici quod rethorica habet unam partem que est de enthymemate persuasiuo et quantum ad istam est pars logice et aliam partem que est de passionibus anime et quantum ad istam est pars ciuilis scientie quod non est inconueniens et de hoc plus uidebitur in sequentibus Sequitur questio secunda Iohannis de Ganduno

#JAND[1 3

NUNC QUIDEM IGITUR Utrum sermones passionales siue passionatiui pertineant ad rethoricam Arguitur quod sic, quia huiusmodi sermones uidentur pertinere ad aliquam partem philosophie cum ipsos contingat recte agere et non recte sed non uidetur alia pars philosophie esse ad quam pertineat nisi rethorica ut patet inducendo in naturales mathematicas et diuinam et moralium unamquamque ergo etc Item, artifex qui considerat de passionibus considerat de sermonibus passionabilibus ut uidetur manifestum eo quod sermones passionales ordinantur ad passiones et ex hoc denominantur sed rethor considerat de passionibus ut patet in 2 huius igitur etc

Item, illi sermones pertinent ad rethoricam qui faciunt iudicem certius inquirere et magis iudicare hec uidetur manifesta sed aliqui sermones passionatiui sunt huiusmodi Probatio quia Aristoteles dicit in 2 Ethicorum quod magis iudicant et certius inquirent cum delectatione operantes unde statim prius dixerat quod propria delectatio coauget operationem Constat autem quod delectatio est quedam passio ut patet in 2 huius et per consequens sermones delectatiui sunt sermones passionatiui quare uidetur ulterius quod sermones passionatiui pertineant ad rethoricam

Oppositum uidetur uelle Aristoteles in isto capitulo et ratio est quia illi sermones qui peruertunt iudicium rationis non pertinent ad rethoricam cum ipsa rethorica intendat persuadere ad rectum iudicium sed sermones passionatiui sunt huiusmodi ut patet in littera Amor enim et odium qui sunt quedam passiones peruertunt iudicium ut dicitur communiter et allegatur, quare etc.

Ad euentiam huius questionis notandum est qui dicuntur sermones passionales seu passionatiui Sunt autem huiusmodi sermones in proposito illi qui inducunt in iudice uel in auditoribus aliquam passionem uel aliquas passiones quibus inclinatur et disponitur ad iudicandum pro una partium magis quam pro alia et huiusmodi passiones sunt amor uel odium spes timor uel misericordia iracundia et huiusmodi Cum enim orator per sermones suos tantum facit quod iudex amat illum pro quo litigat dicendo ei "Domine ipse semper dilexit amicos pios et bene fecit eis et est ualde probus et ualens homo" et huiusmodi talia tunc ipse iudex appetit bonum illius et odit eius malum et sic faciliter iudicat ipsum esse absoluendum uel ipsum esse premiandum" et econuerso est cum odit eum Similiter orator per suos sermones potest inducere timorem in iudice dicendo ei "Domine caueatis uobis iste est homo potens et diues et habet amicos quibus multum displicet malum eius" et huiusmodi tunc iudex interdum non audet reddere rectum iudicium timens ne malum sibi contingat et ideo uidetur expediens esse secundum istum respectum quod iudex precipue sit solempnis uir diues et potens amicis ne timore corrumpatur Similiter et de aliis passionibus multis Si uis propriissima exempla de sermonibus passionatiuis uide Tullium in quarto Noue rethorice ubi exemplificat de exornatione sententie que dicitur descriptio et in multis aliis exemplis Similiter plura inuenires in libro Senece qui dicitur Liber declarationum siue 10 Ethicorum Ulterius est notandum quod aliquid dicitur ad considerationem alicuius scientie per se et principaliter pertinere et aliud per accidens et secundario ut satis habetur ex primo Posteriorum Tunc potest dici ad questionem quod sermones passionales per se et principaliter non pertinent ad rethoricam quod multipliciter probat Aristoteles in littera et accipio solum duas rationes eius Una est quod illi sermones qui remouent iudicem a propria dispositione iudicis non pertinent primo et per se ad rethoricam hoc est euidens sed sermones passionales

sunt huiusmodi nam propria et conueniens dispositio iudicis est indifferentia ad utrumque litigantium et ad accusatorem et defendentem seu reum ita quod non plus dependet ad unam partem quam ad aliam sicut regula qua uult aliquis uti ad faciendum rectam lineam non debet esse obliqua seu curua et distorta Nunc autem per sermones passionales remouetur iudex ab ista dispositione et inclinatur ad unam partem plus quam ad aliam ut manifestum est ex dictis et istam rationem pulchre tetigit Aristoteles in littera ubi sic dicit "Non enim oportet iudicem peruertere ad iram prouocantes aut timorem aut inimicitiam Simile enim et si quis cum uult <ali>qua uti regula hanc faciat distortam" Alia ratio est illi sermones non pertinent essentialiter et primo ad rethoricam quibus non ostenditur ita esse aut non esse aut factum esse aut non factum esse sed per sermones passionales hec non fiunt, quare etc. Maior patet quia ad litigantem nichil aliud principaliter pertinet nisi ostendere etc Rethorica autem proprie instruit litigantes scilicet accusantem et reum ut manifestum est et minor etiam apparet nam cum aliquid proponitur coram iudice ad accusationem alterius si fiat quod iudex ipsum amet uel odiat ex hoc non sequitur quod ita sit uel non sit ut si quis accusat alium de furto si iudex odiat illum non sequitur quod ille sit fur uel quod furatus fuit et similiter de aliis, quare etc. Patet igitur ex hiis rationibus quod sermones passionales non pertinent principaliter ad rethoricam Hoc etiam patet signo quia quedam leges recte ordinate prohibent ne aliquid dicatur extra rem ut in Ariopago ut Aristoteles dicit sermones autem passionales sunt extra rem quia ex hiis nullo modo conuincitur re esse uel non esse Unde si illi oratores qui solum sciunt componere sermones passionatius haberent agere coram iudicibus illorum qui alias leges obseruant ipsi nescirent quid dicere ad propositum ut dicit Aristoteles Est tamen intelligendum quod ipsi sermones passionantes aliquantulum possunt considerari a rethorico non ut eis principaliter et in pluribus utatur sed ut sciat eos uitare et soluere Sunt enim aliqui litigantes qui assueti sunt dicere tales sermones iudicibus et per hoc uenire ad intentum unde ne bonus orator ignoret uirtutem talium sermonum et ne uincatur per eos bonum est eos cognoscere aliquantulum Talia autem dicuntur pertinere ad scientiam per accidens et secundario que non considerantur principaliter nisi ut fugiantur et uitentur precipue in scientiis operatiuis sicut etiam in scientiis speculatiuis aliqua considerantur ut remoueantur false opiniones de illis ut uacuum et infinitum in philosophia naturali et idee in philosophia prima Similiter autem et in aliis Expedi etiam aliquando uti sermonibus passionantibus cum iudex et auditores sint iam fatigati seu fessi de sedendo uel stando et quasi contristati et amplius nolunt audire litigantes tunc enim bonum est interponere aliqua passionalia utpote aliqua solaciosa seu risibilia et delectantia uel mirabilia non ut per hoc iudex inclinetur ad iudicandum pro uel contra per se immediate sed ut uelit audire rationes litigantium bene et diligenter et hec uidetur esse doctrina Tulii in sua Noua rethorica ubi docet quando non est utendum prohemio ubi sic dicit "si defessi audiendo erunt ab aliqua re que risum mouere possunt" supple incipiendum est et in Ueteri rethorica dicit sic "nam ut +primi+ satietas cibi est fastidium aut subamara reliqua re releuatur aut dulci mitigatur sic animus defessus audiendo aut admiratione integratur aut risu nouatur" Per hoc ad primam rationem et similiter ad 2am Satis enim probant sermones passionatius aliquantulum ad rethoricam pertinere sed non per se et principaliter sicut aliqui crediderunt et hoc improbat Philosophus in littera Ad 3am cum dicitur "Illi sermones" etc uerum est si hoc faciant ex parte rei que ponitur in questione sed si non oportet quod principaliter pertineant ad rethoricam et quando dicit quod sermones delectatiui faciunt certius exquirere dico quod hoc non est ex parte rei de qua litigatur sed ex dispositione iudicis Uerbi gratia si proponatur coram iudice aliquem esse furem et iudex delectetur in audiendo hoc enim non prouenit ex parte rei proposita quod ipse certius inquirat et melius iudicet sed prouenit ex dispositione iudicis qui cum delectatur audiendo diutius potest attendere et insistere quam si tristaretur et irasceretur "Duo autem sunt contraria consilio festinatio et ira secundum Senecam in suis Prouerbiis Unde si festinaret excedenter aut multum esset iratus non ita bene inquireret nec consuleret, quare etc.

#JAND[1 4

MAXIME QUIDEM IGITUR Utrum paucissima sint committenda iudicibus

Arguitur quod non, immo ualde multa, quia illi plura committenda sunt qui circa singula recte iudicant et cui in singulis uerum ei apparet hoc est euidens sed iudex est huiusmodi Probatio quia iudex est sapiens et uirtuosus aliter non esset uerus iudex Unde 5 Ethicorum "ad iudicem ire est ad iustum ire" Uirtuosus autem circa singula recte iudicat et in singulis uerum ei apparet 2 Ethicorum, quare etc.

Item, si paucissima essent committenda iudicibus sequeretur quod melius esset ciuitatem regi optimis legibus quam optimo uiro Hec uidetur manifesta consequentia sed hoc consequens est falsum Probatio quia illo magis expedit ciuitatem regi qui habet cognitionem uniuersalium et particularium seu singularium quam per quod non habetur cognitio singularium cum regimen sicut et omnis alius actus circa singulare sit sicut habetur ex prohemia Metaphisice nunc ille optimus uir habet cognitionem uniuersalium agendorum aliter non haberet iustitiam legalem et sic non esset optimus et habet cognitionem singularium factorum et personarum et rerum ut manifestum est Per leges autem non cognoscuntur singularia precipue que raro contingunt quia legislatores non poterant talia uidere ut patet ex libro Ethicorum, quare etc.

Item, illis sunt plurima et non paucissima committenda qui adipiscuntur ueritatem ut in pluribus hec est manifesta sed iudices sunt huiusmodi secundum Aristotelem in isto primo homines ad ueritatem apti nati sunt sufficienter et in pluribus adipiscuntur ueritatem et multo fortius iudices, quare etc.

Oppositum docet hic Aristoteles plane

Notandum quod illud proprie dicitur committi iudici de quo ipse secundum sui rationem propriam et uoluntatem potest iudicare sine eo quod innitatur alicui legi posite uel scripte sicut uerbi gratia cum aliquis percussit aliquem et percussus petit sibi emendari per pecunie acceptionem in uoluntate iudicis est quod tantam summam uel tantam iudicet esse soluendam et hoc sit dictum gratia exempli Similiter apud aliquos cum plures testes producti sint ad aliquod probandum et auditi industrie iudicis relinquitur considerare an dicta testium concordent Similiter autem et in aliis Precipue autem hoc contingit in quibusdam casibus particularibus raro contingentibus de quibus legislator non potuit preuidere et tu posses dicere multos tales casus particulares qui rarissime contingunt ut in libro declamationum Senece in quibus casibus iudicium potest committi iudici quia nulla lege posita posset determinari et tu inspicias illum librum si sit tibi cure Tunc breuiter potest dici ad questionem quod paucissima sunt committenda iudicibus et hoc pulchre et plane probat Aristoteles in littera tribus rationibus Quarum prima potest sic formari Illis paucissima sunt committenda quos difficile est esse sufficienter sapientes et uirtuosos hec autem est manifesta quia non nisi sapientibus et uirtuosis committenda sunt iudicia ut patet ex 5 Ethicorum sed omnes iudices difficile est esse sufficienter sapientes et uirtuosos quia iudices oportet esse quam plurimos utpote in qualibet ciuitate et castris et uillis difficile autem est tot esse sapientes, quare etc. 2a ratio potest sic formari Illis paucissima sunt committenda qui habent in breui tempore reddere iudicia de rebus difficilibus et arduis et occultis quia in talibus non est facile inuenire iustum in breui tempore nunc autem iudex habet in breui tempore reddere iudicia frequenter quia aliter partes dampnificarentur in litigando et possent contingere dissensiones periculose et homicidia et odia ualde magna si nimis diu prolongaretur iudicium igitur etc Sed legislatores non sic in breui tempore habuerunt leges immo potuerunt considerare negotia in longo tempore quare legibus omnia sunt determinanda ut est possibile et paucissima in uoluntate iudicis relinquenda Item, fortior ratio est quia illis paucissima sunt committenda quorum iudicia sepe peruerti possunt passionibus hec est manifesta sed iudices sunt huiusmodi quia ipsi iudices habent iudicare de personis determinatis uel de causis determinatarum personarum que sunt amice ispius iudicis uel amicorum eius uel etiam inimice et sic propter amorem uel odium ipsarum frequenter impeditur recta ratio in iudicio ut dictum est prius et sepe etiam amittitur iudicio iudicis commodum proprium uel dampnum propter que corrumpitur iudicium ipsius sed non sic est de legibus quia legislator in constituendo leges non considerauit ad personas determinatas sed communiter ad bonum omnium futurorum et presentium ita quod nec amor nec odium nec ira nec timor inclinauerunt ipsum ad hoc uel illud sed solum equitas et ueritas et rei publice utilitas prout fuit possibile ut patet 5 Ethicorum et hoc precipue uerum est secundum diffinitionem legis quam ponit Aristoteles in epistula ad Alexandrum lex est sermo determinatus secundum communem

concordiam ciuitatis admonens qualiter esset agere singula Quare manifestum est quod paucissima sunt committenda iudicibus et omnia ut est possibile sunt determinanda secundum leges Sed aliquis quereret ponamus quod omnes iudices essent sufficienter sapientes et experti et quod haberent tempus sufficiens ad omnia iudicia inminentia et quod essent ita uirtuosi quod nulla passio posset eos deprauare utrum omnia et plurima essent eis committenda et forte dicendum quod illa sunt impossibilia secundum naturam scilicet quod omnes iudices sint sufficienter sapientes sine legibus scriptis et quod ipsi semper habeant dilationes sufficientes ad inquirendum uerum et rectum iudicium et quod ipsi sint ita uirtuosi quod presentia amicorum uel inimicorum nullo modo inclinet eos ad unam partem magis quam ad aliam quod si hoc conceditu possibile forsitan dicendum esset quod plurima iudicibus essent committenda quia ipsi numquam deficerent a rectitudine rationis et hiis suppositis non differunt iudicia fieri secundum leges et secundum uoluntatem talium hominum nam lex precipit uiuere secundum omnem uirtutem et prohibet uiuere secundum omnem maliciam 5 Ethicorum Unde tales homines si essent iudicarent sicut et recte leges iudicarent sed quia hec numquam aut raro contingunt scilicet quod iudices habeant omnia predicta ideo Aristoteles non curauit de hoc facere sermonem sermones enim de humanis operabilibus sunt ueri ut in pluribus et frequentius et tales dicuntur sufficere ut dicitur 2 Ethicorum Est igitur intentio Aristotellis quod ultra uel preter ea que determinata sunt per leges paucissima sunt committenda uoluntatibus iudicum ita scilicet quod sine precepto cuiuscumque legis liceat uoluntate et ratione propria paucissima iudicare dum propter difficultatem inueniendi plurimos sapientes tum propter breuitatem temporis quo oportet frequenter facere iudicia tum propter pericula peruersionis iudicii et uehementum passionum Ad primum argumentum potest dici quod bonus et uerus iudex circa singula recte iudica(n)t et in singulis tantum uerum est de illis que sunt determinata per leges positas sed de singulis casibus non semper potest de se ipso ueritatem cognoscere et respectu personarum singularium contingit eius appetitum passionari passionibus inpedientibus rectitudinem iudicii ut dictum est uel dicendum quod uirtuosus manens in singulis recte iudicat quia agit secundum rationem Ratio autem semper deprecatur ad optima 1 Ethicorum sed cum ipse deficit a uirtute per uehementiam passionis non semper recte iudicat Ad aliud dicitur concedendo consequentiam ut habetur in nono Politice et ad probationem consequentis dicendum quod licet optimus uir magis cognoscat singularia quam cognoscantur secundum leges tamen aliud est quod reconpensat quia ille qui est optimus uir potest passionari lex autem non Sed qualiter uir optimus potest incidere passioni cum ipse sit habituatus et firmatus in uirtute omni? forte dicendum quod nullus habitus uirtutis moralis est firmus et fixus quando presente obiecto et fortiter motiuo ad passionem possit appetitus moueri et pro illo tunc agere secundum passionem Uel dicendum quod licet uir optimus melius regeret quam ipse leges uel ita bene tamen quia non omnes iudices sunt uiri optimi immo uir bonus sicut fenix semel in 500 anno nascitur ut dicit Seneca in epistula 42 Ideo adhuc periculum est multum committere ad iudicibus

Ad aliam cum dicitur "illis plurima sunt committenda qui adipiscuntur ueritatem ut in pluribus" uerum est si in omnibus in quibus debent- iudicare adipiscantur ueritatem ut in pluribus sed sic non est de ipsis iudicibus immo frequenter annexa sunt eis amare et odire et proprium commodum ut non adhuc possint uidere sufficienter uerum ut Aristoteles dicit in littera et cum dicitur quod homines adipiscantur ueritatem ut in pluribus uerum est aliquam ueritatem que sufficit ad aliquod regimen sue uite sed non adipiscuntur sufficienter quamlibet ueritatem necessariam ad rectitudinem iudicii

#JAND[1 5

OMNIUM AUTEM MAXIMUM Utrum amare et odire seu amor et odium peruertant iudicium Arguitur quod non, quia actus diuersarum uirtutum anime non uidentur se inuicem peruertere ut auditio non peruertit uisum nec econuerso sed amare et odire ex una parte et iudicare ex altera parte sunt actus diuersarum uirtutum nam amare et odire sunt actus appetitus ut patet 2 et 3 Ethicorum iudicare autem est actus intellectus ut patet ex 2 De Anima, quare etc.

Item, unusquisque bene iudicat de hiis que nouit primo Ethicorum sed ille qui amat aliquem uel odit ipsum cognoscit ipsum et etiam bonum et malum ipsius aliter non amaret ipsum nec odiret ergo bene iudicat de ipso et sic non peruerse

Item, si sic esset sequeretur quod iudex qui odit aliquem numquam daret rectum iudicium de illo siue pro ipso hec uidetur manifesta sed consequens est falsum ut patet per experientiam uidemus enim quod iudex qui odit aliquem furem uel homicidam recte iudicat ipsum esse puniendum, quare etc.

Item, sicut est de delectatione ita uidetur esse de amore cum hec ambo sint quedam passiones ut patet in 2 huius et amans delectatur in amato ut patet in 6 et 9 Ethicorum nunc delectatio non peruertit iudicium immo perficit ut uidetur uelle Aristoteles in 1 Ethicorum ubi dicit quod magis iudicant et certius inquirunt cum delectatione operantes, quare etc.

Oppositum dicit hic Aristoteles

Notandum est quod sicut habetur ex 6 Ethicorum et 2 huius amor est triplex unus est propter bonum honestum alius propter bonum utile tertius propter bonum delectabile secundum sensum et per oppositum triplex est odium scilicet propter malum inhonestum propter dampnosum malum et propter malum contristatium Qualiter autem differunt ista bona considerandum est alibi

Tunc dicendum primo quod amor propter honestum non peruertit iudicium per se loquendo quia si sic esset tunc quanto aliquis magis diligeret alium propter bonum uirtutis tanto peius iudicaret pro ipso uel contra ipsum quod est absurdum unde si aliquis iudex cognoscat actorem uel reum esse uirum uirtutum et proponatur et probetur aliquid contra ipsum utpote quod debeat actori 100 libras non propter hoc iudex omittet iudicare soluendas esse 100 libras et in tempore competenti Similiter autem et in aliis et proportionabiliter in odio 2 dicendum est quod amor propter utile uel propter delectabile si sit mediocris uel regulatus recta ratione non peruertit iudicium quia actus qui procedit ab habitu uirtutis non peruertit iudicium ista est manifesta immo studiosus enim id est uirtuosus circa singula recte iudicat 2 Ethicorum sed amare aliquem mediocriter et regulate propter bonum utile et delectabile procedit ab habitu uirtutis ad liberalem enim pertinet non solum alteri dare bona utilia modo debito sed etiam recipere huiusmodi rationabiliter bona et propter ipsa amare benefactorem non quidem directe et principaliter sed secundario et ex consequenti in quantum sine talibus bonis non potest exerceri complete actus liberalitatis exterior Similiter ad temperatum pertinet delectationem secundum sensum recipere ab aliquo et propter huiusmodi bonum ipsum diligere non immo primo et principaliter sed secundario et consecutue pro quanto sine huiusmodi bono delectabili actus temperantie exterior non completur Similiter eutrapelos dicitur amare illos quibus committit propter delectabile bonum non principaliter sed in quantum delectatio secundum sensum ordinatur ad delectationem intellectualem De oportunitate ludorum et solaciorum pulchre loquitur Seneca in libro De tranquillitate animi ubi sic dicit "Nascitur ex assiduitate laborum animorum ebetatio quedam et languor nec adhuc tanta hominis cupiditas tenderet nisi uoluptatem quandam naturalem haberent ludus iocusque quorum frequens usus omne autem pondus omnemque uim eriperet nam et sompnus refectioni necessarius est huic autem semper si diem noctemque continues mors est Multum interest remittas aut soluas Legis positores festos instituerunt dies ut ad hilaritatem homines publice congregarentur tamquam necessarium sit inponere laboribus temperamentum" et dicit in alio loco eiusdem libri "Indulgendum est animo dandumque +subiectum+ quod alimenti ac uirium loco sit et in apertis ambulationibus uagandum ut celo libero et multo spiritu attulit augeat que se animus aliquando uectatio iterque et mutata regio uigorem dabunt conuictusque et liberalior potio Non numquam etiam usque ad ebrietatem ueniendum non ut mergat elicit enim curas et ab imo animum mouet et ut morbis quibusdam ita tristitie medetur liberque non ob licentiam lingue dictus est inuentor uini sed qui seruitio curarum liberat animum asseritque et uegetat et audaciorem in omnes facit conatus Sed ut libertas ita uini moderatio salubris est"

3 dicendum quod amor propter utile et delectabile si sit excessiuus et superhabundans plurimum peruertit iudicium Nam (cum) est peruersum iudicium cum iudex attribuit alicui plus de bono quam ei debebatur uel

minus de malo ut satis patet ex 5 Ethicorum Contingat autem quod cum iudex superhabundanter amat aliud propter utile uel delectabile eo modo attribuit ei quantum in se est plus de bono uel minus de malo et econuerso cum odit ipsum excessiue et hoc manifestum est per se Uidi quendam pauperem accusare ditissimum iudici de eo quod ipsum pauperem nequissime uerberauerat usque ad uulnera et sanguinis effusionem iudex sententiauit illum percussorem abstinere a potatione uini per duos dies et absoluit eum Ad primum argumentum cum dicitur "actus" etc uerum est si sint uirtutes non ordinate et quarum actus unius non dependeat ab actu alterius sicut est uisus et auditus sed si sunt ordinate hoc modo quod actus unius dependeat ab actu alterius tunc actus unius potest peruertere actum alterius ut actus fantasie bene potest peruertere actum intellectus ut patet in 2 De Anima Modo appetitus et intellectus sic se habent nam appetitus non mouetur nisi ab alioquo cognito ut satis patet 3 De Anima et 2 Ethicorum ita quod actus appetitus dependet ab actu intellectus quare non ualet Sed remanet dubitatio quare in uirtutibus sic ordinatis actus ille a quo dependet alius est causa peruersionis illius et non econuerso cum ergo actus appetitus dependeat ab actu intellectus ut patet ex 2 Ethicorum et 2 De Anima et in De motibus animalium? Magis uidetur quod actus intellectus peruertat actum appetitus quam econuerso et sic cum iudicare sit actus intellectus amare autem et odire sunt actus appetitus uidetur quod iudicium magis peruertit amorem et odium quam econuerso Potest dici quod si actus intellectus et appetitus referantur ad idem obiectum uerum est quod dicitur sicut enim rectitudo actus appetitus dependet ex rectitudine actus intellectus sic peruersitas actus appetitus dependet ex peruersitate actus intellectus respectu eiusdem obiecti sed si sumantur respectu diuersorum obiectorum bene potest esse econuerso scilicet quod actus appetitus peruersus respectu unius obiecti disponat animam ad actum peruersum intellectus respectu alterius obiecti Verbi gratia cum aliquis superhabundanter concupiscit pulchram mulierem hec concupiscentia disponit ipsum ad cogitandum uel intelligendum media quibus possit eam habere Similiter in proposito cum iudex excessiue amat uel desiderat bonum utile quod recipit aut recipere sperat ab alio hic amor et desiderium disponit ipsum ad credendum plus debere ei de bono uel minus de malo Cum hoc autem credit appetit ei media et sic exprimit sententiam pro illo qua fit ut habeat plus de bono uel minus de malo Similiter autem et in aliis et econuerso est de odio suo modo Qualiter autem actus intellectus et actus appetitus respectu eiusdem boni aut eiusdem mali sint diuersi actus aut idem actus inquirendum est super 3am De Anima et de hoc alias fuerunt aliqua dicta sed non sunt presentis speculationis

Ad aliam dicendum est quod unusquisque bene iudicat de ipsis que nouit notitia uera sed non de ipsis que nouit notitia falsa et erronea Modo excessiue amor disponit ad notitiam falsam de bonis aut malis eius quod amatur

Ad aliud dicitur concedo quod numquam iudex odiens personam aliquam in quantum odit ipsam dat rectum iudicium de ipsa ita quod si ad illud iudicium disponatur et inclinatur solo odio persone non est rectum iudicium simpliciter sed si odiat peccatum seu uitium huius hominis non prohibetur per hoc rectitudo iudicii sicut enim uirtutes sunt amande sic uitia sunt odienda unde dicitur "Sic diligentur homines quod non diligentur errores" Dicam igitur quod si iudex iudicat homicidam esse decapitandum et hoc faciat propter odium persone scilicet quia prius odiebat ipsum antequam perpetrasset homicidium non est rectum iudicium per se et formaliter sed solum materialiter ut patet ex 5 Ethicorum Si uero iudicet ipsum puniendum propter odium et detestationem sui uitii tunc bene est rectum iudicium

Ad aliud potest concedi loquendo de delectatione secundum sensum sed de delectatione intellectuali non est simile et de ista loquitur Aristoteles in 10 Ethicorum Dicam ergo quod sicut amor quo aliquis amat uel desiderat utilitatem ab aliquo recipere disponit ipsum ad male iudicandum de eo sic delectatio sensualis quam iudex sperat recipere ab aliquo uel per aliquem frequenter disponit ipsum ad corrupte iudicandum pro ipso Uidi quendam iudicem cui una pulcherrima meretrix fuit accusata de homicidio et tunc factum fuit quod illa domina fuit feliciter liberata et parum aut nichil dampnificata pro illo sed non dico quod ille iudex ab ea receperat carnalis uoluptatis iocunditatem letanter etc

#JAND[1 6

QUOD QUIDEM NON EST ALICUIUS UNIUS Queratur hic utrum rethoricat alicuius generis determinati Arguitur quod sic quia scientia de enthimemate persuasio est alicuius generis determinati Enthimema enim persuasium est quoddam genus determinatum distinctum ab aliis generibus ut manifestum est Sed rethorica est de enthimemate persuasio ut patet in littera ergo etc

Oppositum dicit Aristoteles in littera

Ad euentiam huius questionis est notandum quod rethorica quantum spectat ad propositum considerat aliqua quattuor modis Unomodo tamquam subiectum proprium Aliomodo tamquam circumstantiam negotii de quo rethor habet litigare sicut locum tempus causam instrumentum et huiusmodi que continentur in hoc uersu "Quid quis ubi quibus auxiliis cur quomodo quando" Aliomodo rethorica considerat aliquid sicut illud per quod confirmatur enthimema rethoricum ut simile contrarium magis et minus genus speciem et huiusmodi omnia Quarto modo considerat rethorica aliquid sicut illud ad quod applicat ipsum enthimema persuasium et hoc modo considerat negotia seu opera ciuilia Tunc dico quod si rethorica comparetur ad illud quod ipsa considerat tamquam subiectum sic ipsa est bene generis determinati et hoc satis probat ratio inducta scilicet quod ipsum enthimema persuasium est aliquod genus scibile determinatum Secundo dico quod si comparetur rethorica ad circumstantias inuoluentes questionem hipotesim de qua inquirat rethor sic ipsa non est alicuius determinati generis predicabilis quia ista que inueniuntur in diuersis predicamentis non sunt aliquod unum genus determinatum hoc est per se manifestum Nunc huiusmodi circumstantie sunt in diuersis predicamentis ut locus et quando et actio uel passio et substantia, quare etc. Si rethorica uero esset alicuius generis determinati tunc esset equalis dialectice et sic pars esset equalis toti cum rethorica sit pars dialectice Soluatur per distinctionem consideratorum hic positam Nam rethorica non est pars dialectice nisi pro tanto qua enthimema et exemplum sed pro tanto circa circumstantias negotii et locos communes non est pars ipsius dialectice Tertio dico quod si comparetur ad illa per quorum habitudines confirmantur enthimemata rethorica sic ipsa non est alicuius generis determinati Nam antecedens et consequens et simile et contrarium et huiusmodi talia per quorum habitudines tenent argumenta rethorica et ex quibus constituuntur propositiones probabiles confirmantes ipsa non inueniuntur precipue in aliquo uno genere predicabili sed in pluribus ut manifestum est cuilibet parum exercitato, quare etc. Quarto dico quod si comparetur rethorica ad illa quibus applicat enthimema persuasium sic ipsa non est precise alicuius unius generis predicabilis Nam illa quibus applicantur enthimemata rethorica proprie sunt operationes humane seu actus humani Operatio autem hominis non est precise unius generis quia alique sunt de genere actionis ut interficere percutere et huiusmodi alie sunt de genere passionis ut percuti interfici et sic de aliis multis Cum igitur enthimema rethoricum proprie applicetur ad huiusmodi operationes humanos morales et ob hoc solet dici quod rethorica est quedam dialectica applicata ad mores uidetur quod secundum istum [] rethorica non est alicuius generis determinati Utrum autem enthimema rethoricum possit fieri ad conclusiones de aliis rebus uel generibus posterius est inquirendum Constat autem quod frequentius et principalius utimur tali enthimemate ad actus ciuiles quam ad aliam materiam Unde persuasio rethorica proprie facit fidem de talibus quorum iudicium potest peruertere per passiones existentes in appetitu sensitivo et hec sunt operationes humane ut manifestum est Rationes procedunt uiuis suis

#JAND[1 7

Consequenter potest queri circa eandem particulam utrum persuadere sit opus rethorice

Uidetur quod sic, nam persuadere est opus alicuius artis sicut et demonstrare ut manifestum est et non uidetur esse opus alterius artis quam rethorice ut patet per inductionem, quare etc.

Oppositum dicit Aristoteles in littera in particula preallegata ubi sic dicit et quod non est opus ipsius persuadere Potest dici breuiter quod persuadere esse opus rethorice potest intellegi dupliciter Uno modo sic quod semper ipse rethor per suam orationem faciat auditorem credere quod proponit Aliomodo sic

quod ipsius rethoris sit uti enthimemate persuasio Primo modo persuadere non est opus quod declarat Aristoteles in littera Nam sicut se habet medicinalis ars ad sanare sic rethorica ad persuadere per conuenientem similitudinem sed sanare non est opus medicinalis artis sic quod semper sanat egrotum circa quod operatur ut manifestum Immo aliquando non sanat propter inoboedientiam egroti uel propter debilitationem egroti et similiter rethor non semper inducit fidem quam intendit in iudice uel auditore et hoc contingit/?/ propter indispositionem ipsius auditoris qui non potest intellegere rationes oratoris Uel quia est passionatus tali passione que impedit ipsum ad uidere uerum Uel quia causa quam fouet ipse orator est ita euidenter iniusta quod ad eius defensionem non possunt adduci probationes sufficientes ad faciendum fidem Considerandum tamen est sicut dicit Aristoteles in primo Topicorum quod quamuis rethor non semper persuadeat modo predicto tamen si nihil omittat de contingentibus ad propositum debet iudicari perfecte orasse uel accusasse aut defendisse Sed secundo modo persuadere bene est opus rethorice saltem utentis sicut etiam uti sillogismo dialectico est opus dialectice utentis Bene tamen uerum est quod isto modo persuadere non est opus rethorice docentis ut docens est sicut uti sillogismo dialectico non est opus dialectice docentis ut docens est immo magis demonstrare passiones et proprietates sillogismi dialectici et sillogismo rethorice docentis est demonstrare essentialia enthimematis persuasiui et intellego per rethoricam docentem ipsam rethoricam in ordine ad conclusiones constitutas de ratiocinatione persuasiua Per rethoricam utentem ipsam eandem in habitudine ad conclusiones alias ad quas fiunt ratiocinationes persuasiue Per rethoricam enim non solum perficitur intellectus ad considerationem enthimematis persuasiui sed etiam dirigitur in utendo ipso ad conclusiones morales et ciuiles et primo modo [] est docens quia dat causas et principia sui scibilis et secundo modo est utens quia per ipsam applicat ratio persuasiua ad opus [] Alii uero per rethoricam ut enim intellegunt habitum aggregatum ex habitu predicto et habitibus rerum specialium quibus applicantur rationes persuasiue eo quod sine cognitione talium rerum non posset aliquis uti rethorica Similiter autem est de dialectica per hoc ad argumenta etc

#JAND[1 8

Adhuc AUTEM QUOD EIUSDEM queritur hic utrum aliquis sit dialecticus secundum electionem Uidetur quod sic, quia aliquis est rethor per electionem ut patet per Aristotelem in littera Ergo aliquis est dialecticus per electionem per locum a simili etc

Item, aliquis est sophista secundum electionem ut dicit Aristoteles in littera Ergo a simili aliquis est dialecticus secundum electionem

Item, ille qui eligit sillogismum dialecticum uidetur esse dialecticus secundum electionem Modo aliquis eligit sillogismum dialecticum quia in aliquibus melius est habere sillogismum dialecticum quam nullam rationem et quam sillogismum sophisticum Melius autem semper est eligendum, quare etc.

Oppositum dicit Aristoteles in littera

Notandum est hic quod licet de sillogismo sophistico possit esse scientia ut declaratur primo Elencorum tamen secundum illam scientiam non dicitur aliquis sophista proprie quia sophista proprie secundum nominis interpretationem dicitur quasi 'tegens lucem et ueritatem' et hoc non facit proprie ill<e> qui considerat sillogismum sophisticum et eius principia propria et demonstrat passiones de ipso sed solum ille qui utitur huiusmodi sillogismo ad probandum conclusionem aliquam Unde relinqui uidetur quod aliquis solum sit et dici debeat sophista proprie ex hoc quod eligit sillogismum sophisticum ut per eius usum uideatur sapiens et acquirat gloriam et gratiam hominum Unde in primo Elencorum dictum est quod "quibusdam magis opere pretium est uideri sapientes et non esse quam esse et non uideri" et Commentator dicit quarto Metaphisice quod sophista nullam habet scientiam sed tantum facit se estimari esse sapientem uel scientem De sillogismo uero dialectico non solum est scientia sed etiam secundum illam scientiam conuenienter dicitur aliquis dialecticus et sic non solum aliquis potest dici dialecticus secundum electionem uidelicet quia eligit sillogismum dialecticum sed etiam secundum potentiam scilicet secundum

scientiam que est quedam potestas rationalis per quam possumus considerare cum uolumus Tunc dico breuiter ad questionem secundum intentionem Aristotelis quod aliquis non est dialecticus secundum electionem solum et precise Quod patet facilliter quia ille qui est dialecticus secundum scientiam non est dialecticus secundum electionem solum Hec est manifesta eo quod scientia non est idem quod electio sed homo potest esse dialecticus secundum scientiam scilicet quia habet habitum de sillogismo dialectico Quare uidetur quod nullus est dialecticus secundum electionem solum et precise Non sic est de sophista quia nullus quantumcumque sophista sit secundum electionem potest esse simul sophista secundum scientiam proprie et uere Sed remanet dubium Si enim aliquis dicatur dialecticus secundum electionem licet non solum et precise sed etiam secundum scientiam quare Aristoteles dicit quod non est secundum electionem et non dicit hoc de rethore Immo dicit quod utroque modo est rethor scilicet et secundum potentiam idest secundum scientiam et secundum electionem Potest dici quod hoc dicit pro tanto ut daret differentiam inter sophistam et dialecticum ne crederetur quod sic aliquis diceretur sophista utroque modo et ne crederetur quod sic aliquis diceretur dialecticus secundum electionem solum sicut dicitur sophista secundum electionem solum Ex hiis ad rationes omnes satis probant quod aliquis est bene dialecticus secundum electionem sed non quod solum seu precise secundum electionem et sic intellexit Aristoteles ut mihi uidetur Potest tamen aliquis esse sophista secundum electionem quia scilicet eius electio ipsum inclinatur ad tegendum seu occultandum ut per hoc reputatur sapiens ut patet in secundo Elencorum et quarto Metaphisice Sed nulla scientia ut scientia est potest hominem inclinare uel perficere ad occultandum ueritatem immo ad considerationem uerorum ut patet ex 6 Ethicorum quare nullus dicitur sophista secundum scientiam sed solum secundum electionem dialecticus autem non solum secundum electionem scilicet quia eligat probabiliter arguere uerum etiam secundum scientiam que potest considerare sillogismum dialecticum et eius passiones et principia, quare etc. QUARE ACCIDIT RHETORICAM

#JAND[1 9

Utrum rhetorica sit pars dialecti

Arguitur quod non, quia politica est pars dialectice cum politica tota sit moralis dialectica autem non sed rhetorica est pars politice ut patet in littera et idem dicit Tullius in primo sue ueteris Rhetorice, quare etc. Item, si sic esset tunc Aristoteles non sufficienter tradidisset dialecticam in libro Topicorum ubi nihil tradidit de rhetorica sed hoc uidetur esse inconueniens

Item, sequeretur quod rhetorica esset pars logice quia omne quod est pars partis est pars totius et dialectica est pars logice sed consequens uidetur esse inconueniens quia in enumeratione artium liberalium rhetorica distinguitur contra logicam et grammaticam ut communiter dicitur pars autem non debet connumerari contra suum totum, quare etc.

Oppositum dicit hic Aristoteles

Notandum est hic quod rhetorica non solum considerat de enthimemate persuasio sed etiam de passionibus anime ut patet in secundo huius et de uirtutibus moralibus

Tunc dicendum est breuiter quod rhetorica quantum ad illam partem que est de enthimemate persuasio est pars dialectice Nam sicut se habet enthimema persuasium ad ratiocinationem dialecticam sic se habet rhetorica ad dialecticam sed enthimema persuasium est pars (per rhetorice) ratiocinationis dialectice nam similiter et generaliter dialectica uocatur quecumque ratiocinatio uera que non procedit ex necessariis principiis sed possibilibus aliter se habere aliquo modo et tale est enthimema persuasium, quare etc.

Secundo dicendum quod rhetorica quantum ad illam partem que considerat passiones et uirtutes morales est quodammodo pars politice seu ciuilibus scientie Quod patet quia sicut se habent passiones anime et uirtutes morales ad ea que considerantur in politica sic se habet illa pars rhetorice ad politicam sicut enim subiectum ad subiectum sic scientia ad scientiam Nunc autem passiones anime sunt una pars eorum que considerantur in politica nam politica non solum considerat passiones circa quas est uirtus moralis sed etiam considerat politias et principia et partes politiarum et corruptiones et saluationes earum et

huiusmodi multa ut patet ex Politica Aristotelis, quare etc. Sed notandum est quod cum rhetorica sit composita ex dialectica scientia et ea que circa mores politica ut dicit Aristoteles in sequenti capitulo illa autem pars que est politica circa mores sit illustrior et nobilior quam dialectica magis debet rhetorica denominari pars politice quam dialectice siquidem unumquodque magis debet denominari a nobiliori sui Sed non sequitur ex hoc quod ipsa nullo modo sit dialectica uel quod absolute non sit pars dialectice sicut quamuis lac sit minus album niue non debet dici lac non esse album

Ad primum argumentum patet ex dictis Non enim inconueniens est rhetoricam secundum diuersas sui partes esse partem dialectice et politice Hoc forte inconueniens esset secundum idem

Ad aliam concedendum est quod Aristoteles non tradidit totam dialecticam complete in libro Topicorum sed quia alibi eam compleuit nullum est inconueniens Esset autem inconueniens puta insufficientia et deminutio si eam nec ibi nec alibi compleuisset

Ad aliam dicitur concedendo consequens scilicet quod generaliter loquendo de logica pro scientia ratiocinandi rhetorica est pars eius et cum distinguitur rhetorica contra dialecticam ut in enumeratione artium liberalium forte ibi accipitur logica magis stricte pro illa arte que docet terminare questionem thesim et rhetorica docet terminare questionem hipotesim ut uult Boethius in Topicis suis Qualiter autem differunt questio thesis et questio hipotesis habetur in libro Topicorum Boethii et Robertus recepit in libro suo De ortu scientiarum capitulo 49 et capitulo 59 EARUM AUTEM QUE <PER> OSTENDERE

#JAND[1 10

Queritur hic utrum omnis ostensio reducatur ad sillogismum uel inductionem

Arguitur quod non, quia una species non reducitur ad aliam cum species sint contrarie ut patet ex 10 Metaphisice et unum contrarium non reducitur ad reliquum ut patet primo Phisicorum nunc autem enthimema et exemplum sunt species argumentationis siue ostensionis distincte a sillogismo et inductione ut patet ex 8 Topicorum, quare etc.

Item, sicut se habent principia ad conclusiones sic se habet inductio ad sillogismum nam per inductionem ostenduntur principia et per sillogismum ostenduntur conclusiones ut patet secundo Posteriorum sed principia non reducuntur ad conclusiones ut manifestum est immo econuerso ut patet ex primo Posteriorum, quare etc.

Item, si omnis inductio reduceretur ad sillogismum sequitur quod omnia principia ostenderentur per sillogismum quod uidetur esse falsum quia sic procederetur in infinitum et patet consequentia postquam enim omnis inductio reduceretur ad sillogismum uel ad inductionem cum principia ostendantur inductione illa inductio reduceretur ad sillogismum et sic principia ostenderentur per sillogismum et sic in infinitum Oppositum uult hic Aristoteles et 2 Priorum dicens quod omnis ostensio alia a sillogismo et inductione reducitur ad sillogismum Quod potest probari Primo sic omnis ostensio reducitur ad illas ostensiones quibus utuntur experientia et ars seu scientia quod pro eodem accipio in presenti sed experientia utitur inductione et ars sillogismo, quare etc. Maior patet quia omnis cognitio alicuius complexi reducitur ad experientiam uel artem ut uidetur uelle Aristoteles in prooemio Metaphisice accipiendo artem pro quocumque habitu intellectuali et minor apparet ibidem experientia enim utitur inductione ut expertus medicus cognoscit quod scamonea purgat choleram in corpore taliter complexionato et hec scamonea similiter et illa et sic de aliis Artifex autem utitur sillogismo quo per causam uel effectum demonstrat omnem scamoneam esse eductiuam cholere et huiusmodi talia, quare etc.

Item, omnis ostensio uel est principiorum uel conclusionis per sufficientem diuisionem cum omne complexum sit principium uel conclusio sed sillogismus est ostensio conclusionum et inductio principiorum ut patet ex secundo Posteriorum et secundo Priorum quare Sed unum est hic bonum dubium Nam si inductio est ostensio principiorum et sillogismus conclusionum cum principia sint perfectiora conclusionibus sequitur quod inductio est perfectior sillogismo et tunc cum perfectius non reducatur ad minus perfectum sed econtra ut patet ex 9 Metaphisice sequitur quod inductio non reducitur ad sillogismum sed magis

econuerso Quod autem principia sint perfectiora conclusionibus probatur auctoritate Linconiensis primo Posteriorum capitulo 2 in 2 conclusione ubi dicit plane quod cognitio primorum principiorum melior est dispositio quam scientia que est de conclusione quod non esset nisi principia essent meliora et per consequens perfectiora conclusionibus, quare etc.

Potest dici quod principia bene sunt perfectiora quantum ad certitudinem quam conclusiones cum certitudo conclusionum prouenit ex certitudine principiorum ut patet ex primo Posteriorum Sed quantum ad determinationem seu distinctionem est econuerso principia enim prima cum sint commua ad multas conclusiones non sunt ita determinata nec distincta sicut sunt conclusiones speciales que ex principiis ostenduntur immo unum principium commune est indifferens de se ad plurimas conclusiones ostendendas ut patet ex primo Posteriorum, quare etc.

Ad primum argumentum dicendum est quod una species quantum ad formam suam non reducitur ad aliam ita quod forma unius speciei fiat alia uel sub alia sed quantum ad materiam bene potest una species ad aliam reduci ita scilicet quod materia unius speciei reducatur ad formam alterius speciei et sic est in proposito materia enim inductionis scilicet termini et propositiones fiunt sub forma sillogismi ut patet ex secundo Priorum et modus est declarandus sed non hic et similiter materia exempli fit sub forma uel reducitur ad formam inductionis et sic est intelligendum

Ad aliud potest dici quod principia licet non reducantur ad conclusiones quoad certitudinem tamen bene reducuntur ad eas quoad determinationem seu specificationem Determinantur enim et appropriantur principia que de se sunt communia (ad conclusionem uel) per conclusiones speciales quare non ualet Uel potest dici quod non est simile quia termini qui sunt sub forma inductionis bene sunt in potentia ad formam sillogismi ut patet ex libro Priorum et ideo inductio bene potest reduci ad sillogismum sed termini qui sunt sub forma principii non sunt in potentia ad formam conclusionis proprie loquendo sed dubia uel occulta termini autem ex quibus consituuntur principia prima ut 'omne totum est maius sua parte' non sunt in potentia ad huiusmodi conclusionem occultam +nec ad connexionem per se notami+ quare principia non reducuntur ad conclusiones ita sc quod materia principiorum precipue primorum fiat sub forma conclusionis demonstrabilis Uel potest dici quod licet principia probandi reducantur ad conclusionem tamen principia bene reducuntur ad conclusionem illatam et fiunt sub forma conclusionis illate licet non sub forma conclusionis probate Quomodo autem differt probatio ab illatione scitur ex primo Priorum et primo Topicorum Principia etiam licet non reducantur ad conclusiones que ex principiis probantur tamen illa eadem que sunt principia in una ratiocinatione possunt fieri conclusiones alterius ratiocinationis saltem conclusiones illate et hec ultima solutio est melior aliis

Ad aliud potest negari consequentia et cum probatur quia principia ostenduntur per inductionem etc dico quod hic est fallacia accidentis nam ipsi inductioni prout per eam ostenduntur principia extraneum est quod reducatur ad sillogismum et ideo non oportet quod principia ostendantur per sillogismum licet inductio possit ad sillogismum reduci modo supradicto etiam ad illud dubium quod superius mouebatur potest responderi quod quamuis principia sint perfectiora conclusionibus saltem quoad certitudinem aliquo modo tamen non sequitur ex hoc quod inductio sit perfectior ostensio quam sillogismus immo contrarium sequitur nam quanto aliquod complexum est certius tanto minori indiget ostensione et +imperfectione+ ut satis habetur primo Posteriorum et innuit Commentator in 2 Phisicorum sic dicens sicut se habet complexum ad complexum sic ostensio ad ostensionem sed principium est complexum perfectius et certius conclusione quare et inductio et ostensio perfectior sillogismo Potest dici ad maiorem quod uera est de complexis que ostenduntur eodem modo uel eadem specie ostensionis sed de illis que ostenduntur diuersis modis ostensionis non est necesse et sic est in proposito Concedatur ergo quod sicut se habet conclusio demonstratiua ad conclusionem demonstratiuam sic demonstratio ad demonstrationem sed non oportet quod sicut se habet complexum sillogizatum ad complexum quod inducitur seu per inductionem ostenditur sic se habeat sillogismus ad inductionem quantum ad perfectionem certitudinis et scias quod hec conclusio magis habet locum super 2 Priorum unde et Aristoteles supponit hic conclusionem huius questionis ex illo

loco quia tamen dubitabilis est conclusio ne legens hunc librum fatigaretur querendo conclusiones super librum illum inter quas etiam forte non inuenisset que sunt hic tradita non est inutile premissa scripsisse

#JAND[1 11

Queritur hic utrum enthimemata rhetorica differant ab enthimematibus aliarum scientiarum

Arguitur quod non, quia communia non sunt diuersa a specialibus ut patet ex 7 Metaphisice contra Platonem ut homo non quid aliud est a Socrate et Platone sed enthimemata rhetorica sunt enthimemata communia sicut et ipsa rhetorica est ars communis ut dicitur in isto primo enthimemata autem aliarum scientiarum sunt enthimemata specialia sicut et ipse alie scientie sunt speciales, quare etc.

Item, communiter dicitur quod rhetorica est quedam dialectica applicata ad negotia politica quod non esset nisi enthimemata rhetorica essent eadem cum enthimematibus politicis, quare etc.

Item, quorum sunt eadem principia illa sunt eadem ut patet 12 Metaphisice sed eadem sunt principia enthimematum specialium et rhetoricorum ut si in deliberatio genere arguatur sic 'miles potest expugnare hoc castrum ergo et rex' principium confirmatiuum huius argumenti siue locus est locus a minori et maxima propositio est 'quicquid potest minus potest et maius' et constat quod hec sunt quedam principia enthimematis rhetorici ut patet in primo libro, quare etc.

Oppositum uult Aristoteles in littera in illa parte ubi dicit quod maxima differentia est enthimematum quod aliqua sunt secundum rhetoricam et aliqua sunt secundum alias artes

Ad euidenciam questionis notandum est quod rhetorica et dialectica utuntur quibusdam propositionibus communibus formatis ex terminis communibus ad res diuersarum scientiarum sicut 'maius' et 'minus' 'superius' et 'inferius' 'simile' et 'contrarium' et huiusmodi ex quibus sumit huiusmodi propositiones 'quod potest minus potest maius' 'quod est proprium uni contrariorum non competit alteri' 'a quo remouetur superius et inferius et huiusmodi' Iste autem propositiones communes que dicuntur maxime non sunt propria principia alicuius determinati et specialis argumenti seu enthimematis cum de se sint indifferenter ad multa enthimemata confirmanda Uerbi gratia si arguitur sic 'miles potest expugnare castrum ergo et rex' ista maxima quod potest minus potest maius' non est principium confirmatiuum huius enthimematis quia potest confirmare multa enthimemata specialia sed si aliqui termini significarent maius et minus in uniuersali ut B significaret maius et A minus et ex istis constitueretur enthimema tunc illius enthimematis principium seu locus esset propositio predicta ut si diceretur sic 'A potest hoc facere ergo B potest hoc facere' locus proprius esset 'quod potest minus potest maius' Similiter autem et in aliis huiusmodi Propria autem principia talium enthimematum specialium sunt termini positi in illis enthimematibus ut proprium principium enthimematis est miles et rex et huiusmodi propria principia considerant scientie speciales que utuntur huiusmodi specialibus argumentis Unde si quereretur a naturali "Album secundum quod est album disgregatiuum est uisus ergo nigrum non est disgregatiuum uisus" unde locus?" naturalis in quantum naturalis est responderet "Locus ab albo" uel "a contrarietate albi ad nigrum" Similiter autem et in aliis huiusmodi Modo dicunt aliqui quod sicut enthimemata constituta ex terminis specialibus sunt enthimemata specialium scientiarum sic enthimemata constituta ex communibus terminis sunt enthimemata rhetorica proprie et directe et sic secundum hoc responderetur ad questionem quod enthimemata rhetorica differunt ab enthimematibus aliarum scientiarum specialium nam illa enthimemata que sunt ex terminis communibus differunt ab illis que sunt ex terminis specialibus hec est manifesta sicut termini communes differunt a specialibus sed enthimemata rhetorica constituuntur ex terminis communibus ut patet ex habitis talia enim dicunt esse enthimemata rhetorica quorum loci seu principia propria sunt propositiones communes quibus utitur rhetorica siquidem principia debent esse adequata principiis +contingat+ autem quod huiusmodi propositiones non sunt propria principia enthimematum communium sed specialium ut premissum est Ergo etc Utrum autem rhetorica possit aliquo modo considerare enthimemata formata ex propositionibus specialibus aliarum scientiarum precipue moralium uidebitur in questionibus consequentibus

Ad primum argumentum responderetur secundum istam uiam quod commune non est aliud realiter a speciali sed bene est aliud secundum rationem et sic est intelligendum in proposito Sed remanet dubium quia differentia aliquorum secundum rationem non est maxima differentia immo secundum rem ut manifestum est modo Philosophus dicit plane in littera quod illa differentia est maxima differentia enthimematum secundum quod aliqua sunt secundum rhetoricam et aliqua sunt secundum alias artes quare uidetur quod ista non est differentia preassignata secundum secundum Aristotelem Potest dupliciter responderi Primo quod Aristoteles accipit superlatiuum pro positiuo 'maxima' id est "magna" et utitur tali modo loquendi ut moueat nos ad considerationem huius differentie eo quod quidam neglexerunt eam Uel potest dici quod quamuis illa differentia in quantum differentia est secundum rationem non sit maxima tamen secundum alium respectum est maxima quia ipso enthimemate rhetorico modo preexposito non utimur ad aliquam specialem conclusionem persuadendam cum illud sit constitutum ex terminis communibus sed enthimematibus aliarum scientiarum utimur ad conclusiones speciales persuadendas ut hoc enthimemata 'miles potest expugnare castrum hoc ergo et rex' similiter autem et de aliis huiusmodi Sicut ergo uti et non uti uel esse applicabile et non esse applicabile ad specialem conclusionem maxime differunt sic enthimema rhetoricum et enthimema specialis artis maxime differunt secundum quod huiusmodi

Ad aliud potest dici quod rhetorica non dicitur dialectica applicata ad negotium politicum pro tanto quia enthimema rhetoricum sit penitus idem cum enthimemata politico sed pro tanto quia per rhetoricam cognoscitur modus constituendi enthimema politicum quod est uel continetur sub enthimemate rhetorico et similiter formatur cum ipso Utrum autem enthimema rhetoricum sit commune ad alia enthimemata quemadmodum politica ita sc quod enthimemata rhetorica possint fieri in terminis aliarum scientiarum sicut in terminis politice uidebitur consequenter Quicquid tamen sit de hoc constat quod enthimema rhetoricum principaliter sit in materia ciuili quam in quacumque alia et ideo dicitur rhetorica esse dialectica applicata ad mores seu ad res ciuiles Quare ratio non ualet Uel dicas quod pro tantoa dicitur rhetorica quedam dialectica applicata ad negotia politica quia enthimema rhetoricum constituitur ex terminis con[]ntibus res politicas et ad ens principaliter ordinatur

Ad aliud cum dicitur "Quorum sunt eadem principia" etc uerum est si sint eadem omnino et eodem modo sint principia eorum Sed si diuersimode non oportet sicut principia substantie sunt principia accidentium et tamen substantia et accidentia non sunt omnino idem Modo dico quod ille propositiones que sunt principia enthimematis rhetorici sunt principia enthimematum specialium sed non eodem modo sunt enim principia enthimematis rhetorici propria aliorum uero non propria sed communia ut patet ex dictis, quare etc.

#JAND[1 12

Consequenter potest queri utrum enthimema persuasium sit subiectum de quo est rethorica Uidetur quod sic, quia cognitio eius principaliter intenditur in hac arte ut uidetur uelle Aristoteles in isto primo Contra Idem non est subiectum et instrumentum eiusdem scientie uel artis cum subiectum sic sicut materia et instrumentum ut efficiens et hec non coincidunt secundo Phisicorum Nunc autem enthimema persuasium est instrumentum huius artis ut manifestum est, quare etc.

Sciendum breuiter quod subiectum de quo proprie et adequate est aliqua scientia debet esse primo notum inter omnia que proprie et precise considerantur in illa scientia Secundo Suppono quod communiora sunt nobis notiora minus communibus secundum intellectum ex primo Phisicorum Tertio Quod rethorica non solum considerat de enthimemate persuasium uerum etiam de exemplo ut patet in littera Commune autem est istis ratiocinatio persuasium et tunc potest dici quod enthimema persuasium non est proprie subiectum de quo est rethorica cum non sit maxime et primo notum respectu omnium que proprie pertinent ad ipsam rethoricam Immo ratiocinatio persuasium est notior quia communior

Secundo dicendum quod ratiocinatio persuasium est huius subiectum quia maxime nota respectu omnium que hic proprie considerantur et de principiis eius et partibus et passionibus considerantur in ista scientia ut

patet inspicienti processum Aristotelis et dicas quod ratiocinatio persuasiua non est quid uniuocum ad enthimema et exemplum sed pure equiuocum hoc non ualet quia sic rethorica non est una ars de enthimemate persuasiuo et exemplo persuasiuo Rursus cum enthimema sit perfectius exemplo sicut sillogismus inductione in omnibus autem siue arte siue natura constantibus deterius est gratia melioris ut patet 7 Politice sequitur quod exemplum sit gratia enthimematis et sic habent ad inuicem unitatem quandam analogie sicut finis et ordinata in finem secundum intentionem Commentatoris quarto Metaphisice

Ad rationem in contrarium dicendum quod ad subiectum non sufficit quod eius cognitio principaliter intendatur sed oportet quod sit primo notum modo predicto +sed+ illud cuius cognitio principaliter queritur ut pars nobilissima subiecti sicut deus in prima philosophia et demonstratio in logica

#JAND[1 13a

Consequenter potest queri utrum loci dialectici et loci rethorici sint idem

Arguitur quod sic, quia loci dialectici sunt loci a maiori minori et simili et contrario superiori et inferiori et isti sunt similiter loci rethorici ut patet in isto libro, quare etc.

Oppositum arguitur quia rethorica non est idem cum dialectica nec econuerso ut patet ex prius dictis ergo a simili loci dialectici non sunt idem cum locis rethoricis Potest dici breuiter quod non sunt idem omnino Quod probatur sic sicut se habet sillogismus dialecticus ad enthimema rethoricum sic locus dialecticus ad locum rethoricum per conuenientem similitudinem sed sillogismus dialecticus non est idem cum enthimemate rethorico quia sillogismus dialecticus potest fieri in omni materia sc naturali mathematica et diuina ut patet ex primo Topicorum enthimema autem rethoricum non fit nisi in materia morali seu ciuili Sed diceres Diuersitas materie non arguit diuersitatem specificam ut patet ex 10 Metaphisice modo sillogismus dialecticus et enthimema rethoricum uidentur solum differre secundum materiam ut uidetur ex dictis nam sillogismus dialecticus potet fieri in quacumque materia enthimema autem rethoricum non nisi in ciuili proprie

Ad hoc dicunt aliquid quod diuersitas materie est duplex una secundum diuisionem quantitatuam et secundum alias dispositiones ut secundum calidum et frigidum et huiusmodi et talis diuersitas non arguit diuersitatem specificam Unde masculus et femella non diuersificant speciem quia differunt secundum dispositiones accidentales materie 10 Metaphisice Alia est diuersitas materie secundum rationem recipiendi formam et ista bene arguit diuersitatem specificam ut uidemus quod corpus celeste differt ab istis inferioribus quia materia corporis celestis habet aliam rationem recipiendi formam a materia istorum inferiorum materia enim corporis celestis habet formam non habentem contrarium sed materia istorum inferiorum habet formas habentes contrarium Similiter autem suo modo est in proposito quia materia probabilis ex qua constituitur ratiocinatio dialectica habet aliam rationem recipiendi formam ratiocinationis quam materia ciuilis in qua fit enthimema rethoricum materia enim probabilis suscipit formam ratiocinationis per quam fit opinio de uero et de falso materia uero ciuilis recipit formam ratiocinationis qua fit fides de bono uel malo ut uidetur post

Ad argumentum dicendum quod iste habitudines sunt loci rethorici solum prout inueniuntur in rebus ciuilibus sed sunt loci dialectici prout reperiuntur in aliis rebus et sicut res ciuiles sunt diuerse ab aliis rebus scilicet naturalibus mathematicis et diuinis sic iste habitudines bene sunt diuerse utrobique et ideo huiusmodi loci secundum speciem licet conueniant in aliquo communium analogo uel equiuoco PROPRIA AUTEM QUECUMQUE

#JAND[1 14a

Queritur hic utrum ad rhetorem spectet considerare enthimemata constituta ex propositionibus specialibus et arguitur quod sic, quia qui habet considerare principia debet considerare principiata cum hec sint relatiua sed rhetor considerat principia talium enthimematum ut puta locos rethoricos ut manifestum est, quare

etc. Contra quia artifex ommunis non debet considerare enthimemata specialia sed rhetor est artifex communis ut manifestum est ergo etc Dicunt Expositores quod enthimemata specialia possunt considerari dupliciter uno modo prout reducuntur in principia specialia et propria alio modo in quantum reducuntur ad principia communia uerbi gratia 'Pittacus fecit iustum ergo non fecit iniustum' potest reduci ad illud principium proprium sc iustum uel ad locum communem sc contrarium ut assignetur ibi locus a contrario Similiter autem et de aliis Tunc dico quod rhetor non habet considerare enthimemata specialia primo modo quia isto modo pertinent ad scientias speciales que considerant res ex quibus fiunt illa enthimemata ut si queratur a politico 'Pittacus fecit iustum ergo non fecit iniustum' - unde locus?" ipse responderet "Locus a iusto" Similiter et in aliis Sed secundo modo pertinet ad rhetorem quia ad illum qui considerat principia communia pertinet considerare enthimemata specialia prout uel in quantum reducuntur ad ea sed rhetoris est considerare principia communia omnium talium enthimematum ut est manifestum, quare etc. et est hic notandum quod et rhetor et politicus considerant propositiones speciales circa negotia ciuilia sed differenter quia politicus per se et primo eas considerat sed rhetor considerat eas quasi per accidens uel secundario in quantum sunt nate constituere enthimema rhetoricum et in quantum per eas magis innotescit ipsum enthimema rhetoricum quod per se et principaliter considerat Nunc dicamus quod illa pars rhetorice que considerat huiusmodi propositiones non est omnino distincta a politica immo est quedam pars eius unde Aristoteles dicit in quodam capitulo sequenti sc in illo capitulo Post hec autem diuidendum quod rhetorica componitur ex dialectica scientia et ex ea que circa mores politica et prius dixit rhetoricam esse uelut quandam partem adunatam dialectice et negotii quod circa mores quod iustum est appellari politicum Per hoc ad rationes

#JAND[1 15

CONSEQUENTER QUERITUR utrum de rebus speculabilibus et specialibus possint fieri rationes rhetorice Arguitur quod sic, quia sicut est de rationibus dialecticis sic est de rhetoricis cum ambe scientie sunt communes ut patet in littera Sed rationes dialectice bene possunt fieri de rebus speculabilibus et specialibus Contingit enim per dialecticam sillogizare de omni problemate ex speculabilibus /primo Topicorum/, quare etc. Contra predictum/?/ est mathematicum persuadere ut dicit Aristoteles in primo Ethicorum et eadem uidetur esse ratio de naturali et mathematico

Notandum <est> quod res speculabiles quantum ad propositum spectat sunt duplices Quedam sunt in quibus possunt fieri rationes sumpte ex bono maiori uel minori siue ex fine in ordine ad quem aliquis iudicatur melius uel minus bonum sicut in rebus naturalibus aliqua dispositio rei iudicatur esse melior ex habitudine ad aliquem finem Uerbi gratia melius est dentes anteriores esse acutos quam obtusos propter istum finem que est incidere nutrimentum et melius est iudicium uinens habere uini generatiuam quam non habere propter istum finem ut spes perpetuetur Similiter autem et de multis aliis Uerum est tamen quod differt melius in rebus generabilibus et rebus eternis ut docet Commentator in 2Celi et Mundi Nam melius in rebus eternis est necessarium sed in generabilibus est contingens Alie uero sunt res speculabiles in quibus non fiunt rationes sumpte ex fine ita scilicet quod aliquid ostendatur debere inesse alicui propter aliud scilicet propter finem sicut est in rebus mathematicis Non enim ostenditur triangulus habere tres propter aliquem finem propter quem melius sit ipsum habere tres quam non habere et hoc ostendit Aristoteles in 2 Metaphisice ubi dicit quod in mathematicis non est bonum neque finis quod sic uerum est quia non fiunt argumenta per melius et peius ibi sicut in naturalibus Ulterius considerandum est quod ratio aliqua dupliciter dici potest rhetorica Uno modo proprie simpliciter et perfecte Alio modo imperfecte et secundum similitudinem quandam Tunc potest responderi ad questionem quod in rebus in quibus non arguitur esse ex meliori et minus bono nullo modo sunt rationes rhetorice quod potest sic probari sicut se habet rhetor ad demonstrationem sic mathematicus ad persuasionem per conuenientem similitudinem Nunc autem rhetoris numquam est demonstrare cum semper habeat procedere ex uerisimilibus non autem ex necessariis ut necessaria sunt ut patet in illa scientia quare similiter mathematicus numquam habet

persuadere sed rationes persuasiuas facere Sed dicis Domine "mathematicus non faciet huiusmodi rationes rhetoricas in materia mathematica sed rhetor eas faciet" non ualet quia sicut se habet materia ciuilis ad demonstrationem sic se uidetur habere materia mathematica ad persuasionem per conuenientem similitudinem Sed materia ciuilis non admittit demonstrationem propter uariabilitatem suam ut uidetur primo Ethicorum Ergo similiter materia mathematica non admittit persuasionem nec a rhetore nec ab alio artifice, quare etc. Secundo potest dici quod rationes rhetorice proprie et perfecte non fiunt in materia naturali quamuis in ea aliqua concludantur ex meliori et minus bono Cuius ratio est nam rationes rethorice proprie et perfecte sunt de talibus rebus que sunt in potestate nostra sed res naturales ut naturales sunt non sunt in potestate nostra, quare etc. Maior apparet quia omnes rationes rethorice uere et proprie sunt instrumenta alicuius negotii moralis scilicet deliberatiui uel desceptatiui uel exclamatiui ut patet in isto libro et constat quod unumquodque istorum ordinatur ad aliud quod est in potestate nostra aliquo modo Deliberatiuum enim ordinatur ad querendum bonum utile et fugiendum nociuum et hoc est in uoluntate nostra aliquo modo saltem dare operam uel non dare +Ad huiusmodi+ Disceptatiuum autem ordinatur ad iustum et iniustum et hoc similiter fuit in potestate hominis Exclamatiuum autem ad laudationem uel uituperationem ut dicit hic Aristoteles et adhuc sunt ista in potestate nostra et sic patet maior et minor Est manifesta res que insunt a natura non sunt in potestate nostra ut quamuis sit melius dentes anteriores esse acutos quam obtusos et tamen hoc non est in uoluntate nostra Si enim aliquis habet dentes obtusos a natura non est in eius uoluntate habere eos acutos et si quis natus est cum uno solo oculo non est in eius uoluntate ut acquirat alium oculum Uel etiam si fortuite habeat unum solum oculum uel aliquo uel aliquo alio modo sed est in potestate hominis si non habet bona utilia quod acquirat ea aliquo modo dum modo non sit impeditus nec orbatus Similiter autem et in aliis, quare etc. Preterea rationes sunt in talibus rebus que nate sunt inducere passiones in appetitu sensitiuo quibus inclinatur homo ad prosequendum tales res uel fugiendum ut patet etiam ex inducendo in omni genere negotiorum ciuiliu Sed res nature scilicet que nate sunt haberi a natura non sunt nate inducere huiusmodi passiones proprie et per se ut si quis non habet nisi unum oculum quamuis sit ipsum melius habere duos et possit hoc appetere cum huiusmodi appetitus non mouet ipsum ad prosequendum uel acquirendum duos oculos nisi forte ipse deceptus crederet hoc esse sibi possibile secundum naturam quod raro contingit, quare etc. et si hoc contingeret quod talis passio scilicet desiderium insurgeret in appetitu monoculi quo moueretur ad acquirendum alium oculum uel in appetitu claudi quo mouetur ad acquirendum ut esset rectus hoc non proueniret ex parte rei cum non sit possibilis secundum naturam nec per consequens nec appetenda Sed proueniret ex parte appetentis decepti qui imaginaretur ut putaret illud esse bonum et possibile Sed fines negotiorum ciuiliu scilicet bona utilia et mala nociua et iustum et iniustum et laudatio et uituperatio et huiusmodi talia de se apta sunt appeti quia sunt possibilis et bona appeti Dico tali appetitu qui inclinatur ad eorum acquisitionem uel fugam uel de talibus proprie et perfecte fiunt rationes rhetorice, quare etc. Secundo dici potest de rebus de quibus aliquid ostenditur ex fine possunt fieri rationes rhetorice que sunt quodammodo rhetorice secundum similitudinem et perfecte quia ille rationes que procedunt ex meliori et minus bono non ad conuincendum/??/ aliquid esse bonum uel malum sed esse uel non esse Tales sunt rhetorice secundum similitudinem uel imperfecte sed huiusmodi sunt alique rationes de talibus rebus ut si queretur quare natura fecit dentes anteriores acutos poterit sic argui melius est dentes anteriores esse acutos quam obtusos ergo debet esse secundum naturam quia natura semper fecit de possibilibus quod melius est et est aduertendum quod si istud enthymema debet esse rhetoricum secundum similitudinem oportet ut recipiatur tamquam uerisimilem uel tamquam simpliciter necessarium sic esse uel sic consequi et hic bene notanda sunt uerba Alpharabii in 6capitulo sue abbreviationis super hunc librum ubi dicit sic "et possibile est ut iste rationes usitentur in [] que contingit orationibus persuasiuis ut in scientiis Unde usus earum in scientiis non habet actionem scientalem sed incidit uia rhetoricali in non subiectiis rhetoricalibus" et paucis interpositis subdit "Uti autem in rebus sciantalibus uia rhetoricali erroneum est et causa errandi et deuiandi a comprehensione ueri per ipsam et usitatur quod in scientiis quemadmodum usus est Aristoteles in

orationibus sufficientiuis in libro Animalium in consideratione sua de generatione apum et hoc ipsum non latuit sed cum non haberet rationes certitudinis in apum generatione Posuit in libro suo rationes sufficientiuis relinques uiam [] firmioris de hac re successoribus suis si forte ipsis accideret quod nondum ipse uideat et in 28 capitulo dicit Alpharabius quod multitotiens/?/ inueneritur simile in libris Galieni ut quod uene non pulsabiles ortum habent ab [] propter hoc quod ipsis proprie [] est grossius existit et secundum elongationem eius ab [] areciliatur et magis subtiliatur et quando uirtus [] corporis [] [] habet in cerebro propter ea quod rex semper habitat in altiori loco ciuitatis et [] hoc intellegit per cerebrum suum Preterea quod homines dicant de eo qui uident pati de [] in intellectum quod est absque cerebro et [] fortitudo et timiditas consistunt in corde propter hoc quod homines dicunt de timido eum non habere cor Notandum est etiam quid Alpharabius in eodem 28 capitulo quod orationes passionales et morales et firmitatem uirtutis dictorum non pertineret in aliquo scientiis!/ nec oportet ut aliquid usitetur de ipsis in eis errare [] faciunt et tu inuenies omnia ista in libris Galieni et hoc est per quod firmat seu probat in plerisque librorum suorum uirtutea suas et intendit siue uigorat eas per honorationem et reuerentias exhibitas sibi ab hominibus propter experientiam suam [] [] [] deinde per iactantiam sui et depressionem aliorum medicorum omnia enim firmatio sunt uirtutum suarum siue ualoris sui Orationes autem morales quibus utitur sunt ut uerba ipsius talia Ego quidem non loquor per hoc nisi ad eum cuius mens non est corrupta per orationes falsas deceptatores sophisticarum et ipse quidem sermo [] non est nisi ad eum ex iuuenibus qui [] ad adiutorio diuino et Deus excelsus stabiliunt intellectum ipsius et direxit conatum studii sui et orationes consimiles istis”

Notandum tamen quod non solum fuerit in materia naturali rationes rhetorice modo predicto sed etiam alio modo scilicet que imitetur aliquibus habitudibus communibus utpote similitudini uel contraritati uel alicui huius ut Aristoteles <in> primo Phisicorum declarauit materiam primam per similitudinem ad scientiam et ad turpe et ad materiam artificialium et in 2 De Anima declarauit materiam primam per similitudinem ad tabulam rasam in qua nihil est actu scriptum et in 2 De Anima declarauit sensum rationem per similitudinem ad centrum circuli

Ad argumentum dicendum quod licet dialectica et rhetorica conueniant in hoc quod ambe sunt communes quoquo modo tamen in alio differunt quia per rationes dialecticas magis inquiritur aliquid esse uerum uel falsum Sed per rhetoricas inquiritur bonum et malum et ideo rationes rhetorice proprie non habent locum nisi ad conclusiones que ostenduntur ex bono uel malo et dico bono uel malo humano quod natum sit inducere passionem in appetitu sensitiuo

#JAND[1 16

SUNT ITAQUE SPECIES Rhetorice Queritur hic utrum negotiorum ciuiliu sint tres fines solum Arguitur primo quod non quia negotii deliberatiui finis est utile et nociuum et hec sunt due non unum Similiter finis exclamatiui negotii sunt pulchrum et turpe et hec sunt duo Finis autem disceptatiui negotii seu iudicatiui est iustum et iniustum et hec sunt duo quare uidetur quod sex sunt fines horum negotiorum et non solum tres Oppositum dicit Aristoteles in hoc loco

Ad euidenciam huius questionis est notandum quod negotia ciuilia sunt tria secundum Aristotelem in littera scilicet deliberatiuum disceptatiuum et exclamatiuum et horum differentiam ponit Aristoteles in littera et ex parte actionum et temporum et finium ut uideantur in littera quia satis patet Tullius autem uocat ista genera causarum et ea sic describit in primo Rhetorice NOUE DEMONSTRATIUIUM EST QUOD TRIBUTUR IN ALICUIUS CERTE PERSONE LAUDEM AUT UITUPERATIONEM Est autem demonstratiuum et exclamatiuum idem in proposito DELIBERATIUIUM EST IN CONSULTATIONE QUOD HABet IN SE SUASIONEM et DISSUASIONEM Iudiciale seu disceptatiuum est quod in controuersia habet petitionem aut accusationem cum defensione Ulterius notandum est quod cum finis sit optimum et ultimum /2 Phisicorum et in 5 Metaphisice/ nihil potest habere rationem finis nisi sit bonum aliquo modo Contingat autem quod nociuum ut nociuum est et secundum se ipsum non est bonum immo malum cum suum contrarium scilicet conferens

aut utile sit bonum cum ipsum nociuum quantum ad eius euitationem seu fugam est quod bonum scilicet bonum utile Similiter autem iniustum secundum quod iniustum et se ipsum non est quid bonum Sed quantum ad eius fugam seu euitationem est bonum et iustum Similiter uituperatio secundum se ipsam est quid malum Sed eius euitatio est quid pulchrum et bonum Amplius notandum est quod sicut ad hoc quod aliqua sint duo aut tria secundum speciem non requiritur quod unumquodque illorum secundum se ipsum sit unum solum in numero sed sufficit quod quilibet eorum secundum se sit unum specie ut homo et asinus sunt duo secundum speciem et tamen nec homo secundum se est unum solum numero nec asinus unum solum numero Sed ad hoc quod aliqua sunt duo uel tria secundum analogiam non requiritur quod quodlibet illorum in se sit unum numero solum uel unum speciem solum Sed sufficit quod quodlibet illorum sit unum secundum analogiam Unde in primo Phisicorum dicit Aristoteles quod principia omnium rerum naturalium sunt tria Exponitur communiter secundum analogiam ut habetur in 12 Metaphisice scilicet materia forma et priuatio et tamen certum est quod forma secundum se non est solum una secundum speciem in omnibus rebus naturalibus immo nec secundum genus cum sit in diuersis predicamentis Sed est una secundum analogiam et similiter forma est de materia et priuatione comperando materiam corporum celestium ad materiam istorum inferiorum ut habet declarari in scientia naturali et alias fuit uisum Uterius est notandum quod "finis" et "ordinata in fine" sunt unum secundum analogiam ut satis habetur a Commentatore supra decimum Metaphisice prope principium Unde et Aristoteles in 6 Topicorum dicit quod UBI UNUM PROPTER ALTERUM UTROBIQUE TAMEN UNUM quod non potest esse unum/?/ nec speciale/?/ nec generali unitate quia constat quod Deus est finis totius uniuersi et tamen non est unum cum ipso secundum numerum nec secundum speciem nec secundum genus Unde relinquitur quod est unum secundum analogiam Tunc dico ad questionem/conclusionem quod negotiorum ciuiliu tres sunt fines secundum analogiam ita scilicet quod unusquisque illorum finium est unus in se unitate analogie quia illa que se habent ad inuicem sicut "finis" et "ordinatum in finem" sunt unum secundum analogiam Sed bonum utile et malum nociuum quantum ad eius euitationem sic se habent sicut "finis" et "ordinatum in finem" cum/?/ enim bonum utile si prosecutio eius sit quid perfectius quam fuga nocumenti/?/ et propter acquisitionem nocumenti conferenter Nam eorum que sunt in eodem genere perfectius est finis nullus perfecti et dignus uilioris ut patet per inductionem Sicut autem dico de utile et nociuo proportionabiliter intellego de iusto et iniusto et de turpi et pulchro scilicet quod unumquodque illorum in se prout habet rationem finis et boni est unum secundum analogiam et sic illa tria sunt tria secundum analogiam Quod autem sunt tres fines solum potest sic probari Nam communis finis negotii ciuilis uel est bonum corporis magis directe et sic est conferens et nociuum uel est bonum anime et hoc dupliciter quia uel consideratur prout est positum a lege uel prohibitum et sic est finis disceptatiui negotii uel consideratur magis secundum rationem honestatis dato etiam quod nulla lex posita hoc perciperet et sic est finis exclamatiui uel sic si est bonum anime aut presupponit aliquam controuersiam ciuium et sic est finis disceptatiui aut non et sic est finis exclamatiui Perfice declara corrige si sit opus Sed aliquis potest rationabiliter dubitare contra predicta Nam cum inter ista negotia ciuilia unum sit melius et pulchrius omnibus aliis scilicet deliberatiuiis/?/ ut uidetur uelle Aristoteles in littera

Uidetur quod omnia alia sunt propter ipsum ratione predicta quia EORUM QUE SUNT IN EODEM ORDINE SEMPER MINUS BONUM EST PROPTER MAIUS BONUM /7 Politice/ et sic sequitur quod ista tria negotia sunt unum secundum analogiam sicut illa que sunt unum numero non sunt tria numero sed fines istorum negotiorum sunt unus secundum analogiam ut probatum est, quare etc.

Forte dicendum est quod nihil prohibet istos fines esse unum secundum analogiam ut tria secundum analogiam diuersis modis Nam in quantum duo eorum sunt propter certum sicut sunt unum secundum analogiam sed in quantum unusquisque eorum est unus secundum analogiam sic illi omnes tres possunt dici secundum analogiam et nota quod Aristoteles non loquitur hic de fine communi/?/ negotiorum ciuiliu Iste si et unus omnium operabilium humanorum scilicet ut felicitas ut probatum est in primo Ethicorum Sed loquitur de fine proprio qui est alius et alius in diuersis negotiis politicis et iste etiam finis potest distingui

secundum species specialissimas et sic essent sex fines et secundum genera ac analogia et sic sunt tres solum ut est declaratum Ulterius est notandum quod quilibet istorum finium non est unus solum secundum analogiam Unum etiam forte et unus secundum genus Verbi gratia prosecutio boni utilis et euitatio nociui sunt unus secundum genus quare ambo sunt bona utilia Similiter autem et de aliis suo modo Qualiter autem aliqua possunt esse duo secundum analogiam cum analogia sit quedam unitas et esse tria est esse numeratum uel autem est numeratum per unitatem uel secundum unitatem uideri [] in questione super primum Phisicorum qua inquiritur qualiter principia naturalia sunt tria secundum analogiam sed ad presens gratia breuitatis pretermitto et etiam quia illud est magis speculabile/?/ quam ciuile Ad argumentum patet responsio per premissa Nam ut dictum est nociuum secundum se non habet rationem finis sed quantum ad eius fugam et ut sic est quoddam bonum minus cum bonum quam prosecutio uel acquisitio boni utilis et ideo debet ordinari ad eam nec ad finem proportionabiliter est de aliis duobus, quare etc.

#JAND[1 17

#JAND[1 18

#JAND[1 19

#JAND[1 20

SUMAMUS Igitur UNUMQUODQUE QUID EST Queritur utrum antiquitas ciuium pertinet ad nobilitatem gentis et ciuitatis

et arguitur quod non, quia quod est causa debilitatis non pertinet ad nobilitatem ciuitatis et gentis Hec uidetur manifesta Sed antiquitas ciuium est causa debilitatis ut uidetur manifestum nam homines antiqui sunt debiles et fragiles ut patet ad sensum, quare etc.

Oppositum uult Aristoteles

Ad hoc dicendum est breuiter quod antiquitas ciuium aliquorum pertinet ad nobilitatem gentium Nam illud pertinet ad nobilitatem gentis sine quo non est prudentia Sed sine antiquitate non est prudentia ut in pluribus, quare etc. Maior patet cum enim nobilitas gentis necessario requirat prudentiam et gens ignota non sit nobilis sed seruilis Sequitur quod illud pertinet ad nobilitatem gentis sine quo non est prudentia et minor etiam apparet quia iuuenes ut in pluribus non sunt prudentes propter paucitatem experientie Unde Aristoteles in 2 Topicorum NEMO IUUENES ELIGAT idest eligere debet duces quia non constat eos esse prudentes Unde relinquitur prudentes esse antiquos Accipio enim hic antiquitatem prout distinguitur a iuuentute et pueritia quibus non inest ut in pluribus prudentia Sed aduertendum quod quamuis uerum est quod dictum est quod forte Aristoteles non loquitur hic ad istam intentionem sed uult dicere quod ad nobilitatem gentis proprie pertinet quod homines ab antiquo fuerunt [] [] ita scilicet quod non fuerunt seruilis conditionis Unde si aliqui homines a longo tempore seruales facti fuerunt et postea recenter facti sunt sine iuris non est proprie nobilis et sic oportet sicut debet esse gens nobilis proprie et ab antiquo fuerunt sine iuris ita quod non fuerunt serui et solum gratia alterius agentes et secundum preceptum alterius sed secundum se ipsos et secundum suum arbitrium idest secundum rationem propriam se rexerunt ab antiquo cum hoc autem bene exigitur ad completam nobilitatem quod in genere nobili sunt aliqui nobiles sufficienter antiqui qui per memoriam et experientiam preteriorum multorum sciunt preuidere de futuris bonis et malis Unde si omnes homines alicuius ciuitatis essent pueri aut iuuenes inexperti non esset ciuitas bene nobilis precipue secundum illum uersificatorem NOBILITAS SOLA ANNUM QUE MORIBUS ORNAT Idest non potest esse nobilitas nisi animus sit ornatus uirtutibus moralibus Anime autem iuuenum raro sunt uirtuose secundum Cassiodorum in 4 Epistularum DIFFINITUM GENUS REGENDI EST EXERCERE IUUENEM IN SUI SENSIBUS PRINCIPATUM et parum post subdit RARO OMNINO BONUM EST

[] IUUENEM CURARE DE MORIBUS et HOC CUM SE QUI IN FLORIDA etATE AD QUOD UIX CREDITUR CARA MODESTIA PERUENIRE Ad argumentum potest dici quod antiquitas ciuium in quibus est dispositio ad debilitatem ciuium sed in quantum est necessaria ad uirtutem moralem et prudentiam Iuuenes enim qui [] multis fortibus motibus passionum non facilliter et ut in pluribus sunt prudentes et per consequens uirtuosi eo quod in quietati et residentia sit anima sciens et prudens /7 Phisicorum/ et intendit per residentiam sedationem impetus passionum intendo qui sunt quidam motus appetitiue particule secundum [] in 2 Ethicorum et per [] et residentiam a motibus exterioribus frequentatibus et inordinant []

Item, aliter intelligitur antiquitas pertinere ad nobilitatem ciuitatis quia pertinet necessario ad eius naturalem ortum Ortus enim naturalis ciuitatis est secundum Aristotelem /primo Politice/ quod fillis multis in una domo et non potentibus bene conhabitare [] aliam domum et illi aliam ita quod domus creuit in uicum et ulterius multitudine procedente uicus in ciuitatem et hoc non potest fieri in breui tempore propter quod ad ortum ciuitatis naturalem et per consequens ad nobilitatem ita scilicet quod ab antiquo inceperit locus inhabitari et paulatim processerunt ad complementum Non enim est mirum in magno tempore generari magna ut dicit Seneca in Epistula et sic ad nobilitatem perfectam gentis non sufficiunt iuuenes omnio sed requiruntur antiqui Aliter potest uideri ad argumentum

Ad cuius euidenciam considerandum est quod fortitudo uno modo est uirtus corporis et est idem quod robur et describitur ab Aristotele in isto capitulo ROBUR EST POTENTIA MOUENDI ALTERUM UT UULT Alio modo est moralis uirtus anime et sic est habitus quiddam inclinans hominem ad eligendum aggrdi sustinere pericula in uqibus mors propter bonum commune ut patet ex 3 Ethicorum et per oppositum debilitas dicetur de duobus scilicet debilitate corporis et anime Ultimus est considerandum quod ad nobilitatem ueram et proprie dictam non requiritur robur corporalis immo raro contingit quod homines robusti corpore precipue excellenter sunt excellentes intellectu et ratione quod requiruntur ad hoc quod aliquis uere nobilis et liber immo econtrario homines debilis corporalis et passibilis sunt ingeniosi et bene ratiocinati et per consequens magis nobiles et liberi Unde et quid uersificator dixit INGENIO POLLET CUI UNI NATURA NEGAUIT et hoc satis habetur ab Aristotele in primo Politice ubi sic loquitur UULT QUID IGITUR NATURA CORPORA [] FACERE QUE LIBRORUM et SERUJORUM HEC QUIDAM FORTIA AD NECESSARIUM USUM HEC AUTEM RECTA et INUTILIA et AD TALES OPERATIONES UTILIA AUTEM AD CIUILEM UITAM Qualiter autem differunt nobilis ingeniosus et liber habet uideri in primo Politice Ex hiis ad argumentum cum dicitur "Illud quod est causa debilitatis" etc uerum est si sit causa debilitatis que opponitur fortitudini prout est uirtus anime precipue in quantum est causa talis debilitatis opposite fortitudini corporale [] Sic potest pertinere ad nobilitatem per accidens in quantum talis nobilitas corporalis que causatur excellentiam in intellectu et ratione que requiritur per se ad nobilitatem perfectam DIUITIARUM AUTEM Potest hic queri utrum diuitie pertinent ad felicitatem Sed nihil plus de isto []

#JAND[1 21

#JAND[1 22

#JAND[1 23

GRATIA PREDICTORUM QUERITUR utrum robur sit pars felicitatis

Arguitur quod non, quia quod non stat cum nobilitate non requiretur ad felicitatem cum perfecta nobilitas requiratur ad felicitatem secundum Aristotelem in primo Ethicorum NIHIL ENIM IMPERFECTUM EORUM QUE FELICITAS Sed robur non stat cum huiusmodi nobilitate Raro enim contingit quod homines robusti uigeant ratione et intellectu ut possint dirigere se et alios et preuidere ut patet ex primo Politice, quare etc. Oppositum dicit Aristoteles

Hic est intellegendum quod robur corporis causatur multis modis Uno modo robur multum excellens et intensum super communem modum multorum hominum et ad opera laboriosa multum et quasi seruilia

sicut sunt opera fabrorum et fullonum et illorum qui portant et sustinent magna onera et uniuersaliter opera difficilia maculantia corpus humanum Alio modo est robur non multum excellens sed mediocre secundum quod homo potest quedam opera liberalia et non maculantia corpus ut ludos excitatiuos et huiusmodi talia

Iterum felicitas politica de qua hic loquitur Aristoteles quia ipsa et partes eius magis sunt principia hortandi et dehortandi quam felicitas speculatiua eo quod notior est illa quam illa Talis dico felicitas potest considerari dupliciter Uno modo inuenitur in uno solo homine secundum quod est possibile puta in principe qui principatur in optima policia scilicet in rege Alio modo prout est in ipsa tota policia optima Tunc potest dici ad conclusionem/questionem quod robur corporis primo modo non pertinet necessario ad felicitatem politiam prout est in uno solo homine ita scilicet quod necessarie sit hominem felicem felicitate policita esse multum robustum et excellenter quia illud quod non stat cum libertate seu nobilitate non requiretur necessario ad felicitatem unius hominis Hec est manifesta ob hoc quia non potest aliquis esse felix nisi sit aliquo modo nobilis uel liber cum nobilitas sit una pars felicitatis ut patet hic et in primo Ethicorum Sed tale robur corporis non stat cum nobilitate uel libertate ut patet per Aristotelem in primo Politice ubi dicit sic uult quod igitur natura corpora diuersa facere que liberorum uel seniorum hic quidem fortia scilicet ad usum necessarium Hec autem recta et inutilia ad tales operationes utilia autem ad ciuilem uitam Patet igitur ex intentione Aristotelis quod homines multum robusti sunt quasi naturaliter serui et non liberi Propter quod uidetur quod usus robur non pertinet ad felicitatem politicam unius hominis eo quod seruum esse secundum naturam non stat cum huiusmodi felicitate et confirmatur hec ratio quia illud quod non stat cum prudentiam perfectam non uidetur pertinere ad felicitatem politicam unius hominis cum felicitas est principaliter actus prudentie ut habet uideri in 7 et 6 Ethicorum Sed robur humana non stat cum prudentiam saltem ut in pluribus prudentia immo naturaliter huiusmodi homines multum robusti ordinantur ad usus necessarios siue ad opera laboriosa ut fodere et fabricare et huiusmodi et quia natura non ordinat unum et idem ad plura precipue contraria et quorum unum impediret alterum ut patet ex primo Politice Uidetur quod tales non ordinantur ad preuidendum et dirigendum et precipiendum et sic tale robur non stat cum prudentiam saltem ut in pluribus et dico "ut in pluribus" quia aliquotiens accidit contrarium scilicet quod aliqui habentes corpora robusta et per consequens corpora seruorum habent animos liberorum et aliquando secundum Aristotelem ibidem econtrario, quare etc. Secundo est inquerendum an tale robur pertineat ad felicitatem politicam totius politie et forte est dicendum quod sic Ad cuius euidenciam est considerandum sicut potest haberi ex primo Politice ad politicam necessario requirens quod aliqui sunt naturaliter idonei ad seruitutem quod sic potest probari quecumque sunt constituta ex pluribus et sic unum aliquod genus ex eis siue ex cognotis siue ex diuersis in omnibus uidetur principans et subiectum hanc propositionem scribit Aristoteles in primo Politice et ea manifestat inductione ut patet inspicienti Sed ipsa politica est quod unum constitutum ex pluribus hominibus ut est manifestum ergo necessarium est ad ipsamet quod aliqui homines sunt principantes et aliqui sunt [] siue serui et sic politica est secundum naturam ut patet ibidem "homo enim est animal naturaliter politicum seu ciuile sic naturale" Ulterius notandum est quod ad hoc quod aliquis sit idoneus naturaliter ad seruitutem requiretur robur corporis intensum et excellens ultra communem modum multorum hominum robur dico secundum quod possit in opera laboriosa et difficilia et hoc plane docet Aristoteles in primo Politice ubi dicit quod quorumcumque est opus corporis usus et hoc est ad ipsis optimum Isti quidam natura serui quasi diceret homines quorum principale opus est usus sui corporis et quod hoc est optimum quod ab illis haberi potest Sunt enim ualidi ad exsequenda opera corporis impotentes autem ad opera rationis isti naturaliter sunt serui nec inueniuntur aliqui alii qui proprie et principaliter sunt serui Si enim aliquis homo non solum deficiat intellectum et ratione ita quod se ipsum nesciat dirigere in finem debitum sed etiam deficiat robore corporis quo possit exequi precepta principantis seu domini Talis non est proprie et perfecte seruus neque dominos sicut si haberet sufficiens robur licet aliquo modo sit seruus in quantum deficit a ratione Tunc potest probari cuius premissa scilicet quod robur requiretur totius politice Nam illud sine quo aliquis non

potest esse seruus secundum naturam est necessarium ad politicam et per consequens ad felicitatem eius cum ad politicam requiretur aliquos natura esse seruos ut probatum est Sed robur corporis intensum est necessarium ad hoc quod aliquis sit perfecte seruus secundum naturam ut patet ex dictis, quare etc. Item, illud est necessarium ad felicitatem politicam prout est in tota politica sine quo non possunt exerceri multa opera necessaria ad per se sufficientie politice Nam per se sufficientia est necessaria ad uitam beatam ut patet hic et in primo Politice et primo Ethicorum sed sine robore corporis humani non possunt exerceri multa opera necessaria ad per se sufficientiam ciuitatis seu politie ut manifestum est sicut opus fabrile ad domificandum et huiusmodi talia, quare etc. Si uero loquitur de robore corporali mediocri et non multum intenso quod ordinatur ad quedam opera liberalia et facilia sic forte bene requiretur ad felicitatem politicam unius hominis ita quod unus homo non esset felix sine huiusmodi robore Si enim aliquis esset ita debilis quod sine labore et tristitia non posset exercere aliquos actus corporales saltem lucuos et exercitatiuos non uidetur esse sufficienter beatus et potest breuiter probari quod cum sanitas corporis sit necessaria ad felicitatem ut patet hic et etiam in 10 Ethicorum illud sine quo non potest sanitas conseruari uidetur homini necessarium ad felicitatem sed sine aliquali robore corporis hic non potest conseruare sanitatem suam saltis diu et delectabiliter ut manifestum est per experientiam saltis ut in pluribus non enim quicumque sanitas sufficit ad felicitatem sed talis requiretur quod homo possit suo corpore sine molestia et dolore secundum Aristotelem in isto primo capitulo "Rerum quibus autem oportet" ubi dicit sic "Corporis autem uirtus sanitas ut sit sine egreditudine utentes corporis multi enim sani sunt sicut dicit Herodius quos nullus utique felicitabit sanitate preterea quod ab omnibus ab scientie humanis aut pluribus Item, sicut excellens et intensum robur corporis concomitatur ut in pluribus defectum prudentie ut prius dictum est sic econtrario defectus corporalis roboris ut robur multum diminutum et imperfectum frequenter concomitatur defectum rationis ut prudentie cuius manifestum est signum in mulieribus et in pueris et sic huiusmodi defectus roboris non bene stat cum felicitate politica quare relinquitur ad ipsam requiri robur corporis mediocre Ex hiis ad rationem Bene probat quod robur corporis multum intensum quo perficitur homo ad opera banausorum et multum laboriosa que sunt opera [] idest maculantium corpora sua non exigitur necessario ad felicitatem immo non bene stat ut in pluribus cum ipsa felicitate Sed de robore mediocre modo predicto non probat quando ad felicitatem ut in pluribus requiretur

#JAND[1 24

CONSEQUENTER POTEST QUERI utrum bona fortuna sit pars felicitatis Arguitur primo quod non quia illud quod concomitatur defectuum uel diminutionem intellectus et rationis non pertinet ad felicitatem cum ad felicitatem pertineat intellectus et recta ratio ut manifestum est ex primo Ethicorum Sed bona fortuna concomitatur defectum uel diminutionem rationis et intellectus ut patet per Aristotelem in De Bona Fortuna ubi dicit sic UBI PLURIMUM DE FORTUNA IBI MINIMUS INTELLECTUS ET RATIO Unde et in diffinitione bone fortune dicit quod BONA FORTUNA EST SINE RATIONE NATURA, quare etc. Preterea si bona fortuna requireretur ad felicitatem sequeretur quod mala fortuna multum posset obesse homini uirtuoso sed hoc est falsum, quare etc. Falsitas antecedentis probatur auctoritate Tullii in littera sue Rhetorice in quodam capitulo ubi dicit sic SI NON POTEST MULTUM OBESSE FORTUNA QUI SIBI FIRMUS IN UIRTUTE QUAM IN CAUSA PRESIDIIUM COLLOCAUIT Consequentia patet quia postquam fortuna bona esset necessaria ad felicitatem mala fortuna adueniens homini uirtuoso remoueret eius felicitatem et sic multum obesset ei, quare etc.

Item, illud bonum cuius eminentia non est firma nec stabilis sed statim deficit non uidetur pertinere ad felicitatem cum felicitas sit bonum et continuum ut patet ex primo Ethicorum Sed fortuna est tale bonum cuius eminentia non est firma immo cito deficit Nam secundum Senecam in Prouerbiis FORTUNA UITRIA EST QUANDO SPLENDET FRANGITUR quasi dicens eminentia fortune est debilis sicut uitrum sit sic Omne uitrum cum ponitur ad lumen solis facilliter frangitur licet luceat cum est eminens et proprie cito deficit Unde Aristoteles in 2 Phisicorum capitulo De Fortuna dicit quod EUFORTUNIUM EST INCERTUM et Commentator

ibi dicit quod Aristoteles dicit hoc ibi ne HOMO DECIPIATUR IN SUA VITA MUNDANA DE EO QUOD ACCIDIT SIBI DE BONITATE FORTUNE MULTI ENIM DECIPIUNTUR IN HOC Ex hoc autem uerbo Commentatoris possit formari una uacatio uidelicet illud quod decipit multos non pertinet ad felicitatem quia felix est uirtuosus seu studiosus ut patet in primo Ethicorum STUDIOSUS AUTEM CIRCA SINGULA RECTE IUDICAT et IN SINGULIS UERUM EI APPARET /2 Ethicorum/ et sic non decipitur quare ad felicitatem non pertinet illud in quo homines decipiuntur sed eufortunium est huiusmodi secundum Commentatorem Eufortunium autem est idem quod bona fortuna, quare etc.

Item, illud non est felicitatis cuius oppositum pertinet ad felicitatem necessario Hac uidetur esse manifesta de se Sed mala fortuna que est oppositum bone fortune necessario pertinet ad felicitatem Probatio patet cum felicitas sit optimum /primo Ethicorum/ Ad ipsam pertinet omnis uirtus moralis et per consequens uirilitas seu magnanimitas cum autem uirtus moralis acquireretur per frequentiam actuum ut patet 2 Ethicorum Non potest aliquis fieri magnanimus uel uirilis nisi contingant ei aliquae aduersite res quibus frequenter resistendo uel in quibus uniformiter se habendo acquirat talem habitum Unde Albertus supra primum Ethicorum dicit quod UIRILIS EST QUI CONTRA DIFFORMES FORTITUDINE INSULTUS UNIFORMI MONTIS CONSTANTIAM MILITet [] Uidetur ergo quod mala fortuna necessaria sit ad felicitatem quare sequitur quod bona fortuna non sit pars felicitatis

Oppositum arguitur auctoritate Aristotelis hic quo ponit fortuna esse partem felicitatis et attingat quod intelligit de bona fortuna et idem arguitur incedere in libello De Fortuna Bona ubi dicit quod SINE BONIS EXTERIORIBUS QUORUM FORTUNA EST DIUINA NON CONTINGAT FELICEM ESSE Idem dicit in 7 Ethicorum in capitulo QUONIAM AUTEM NON ACCIDIT ubi dicit sic PROPTER QUOD INDIGet FELIX HIIS QUE IN CORPORE BONIS et HIIS QUE EXTERIUS et FORTUNA

Ad euentiam conclusionis oportet intelligere quid sit bona fortuna Propter quod notandum quod dupliciter contingit hominem aliquod agere uel aliquo modo moueri ex quo contingat ei aliquod bonum Uno modo quod illud bonum cognoscat et gratia illius agat et mouetur ita quod ex illo bono cognito ratiocinetur bonum esse hoc agere uel sic moueri Uerbi gratia medicus agit sanitatem in corpore egroti propter aliquod bonum quod cognoscit et sperat sibi contingere per talem operationem ut propter lucrum aut propter honorem aut gloriam et huiusmodi et tunc proprie homo dicitur agere a proposito et intentione Similiter autem et in aliis multis Alio modo contingit hominem agere aliquid ab aliquo motu moueri ex quo contingit ei bonum non quod illud bonum prius cognosceret ut sibi euenire per suam operationem speraret Immo si queratur ab eo quare sic agit uel mouetur respondebit "Nescio Sic placet mihi" Uerbi gratia cum homini intendenti ire ad aliquem locum occurrunt due uie quarum utraque ducit ad illum locum Contingit quod homo uadit per unam uiam illarum uiarum dimittendo alteram et cum nescit quod aliquod bonum debet sibi accidere eundo per illam uiam plus quam per alteram et eundo per aliam uiam accidit ei aliquod bonum quod non opinabatur nec intendebat sicut ordinare annos uel inuenire debitorem qui soluat sibi pecuniam uel euadere latrones ad quos incidisset si per aliam uiam iuisset uel aliquod huiusmodi bonum Similiter autem et in multis aliis casibus Sed adhuc iste modus agendi siue operandi contingat hominibus dupliciter Uno modo frequenter Alio modo raro Hiis intellectis dico secundum intentionem Aristotelis ut credo quod ad primum modum operandi preexigitur in homine sic operante aliquis impetus seu instinctus naturalis quo inclinatur ad sic operandum qui quidem impetus seu instinctus naturalis consequitur ipsum ratione nature individualis puta ratione nature ut generata est illud sub tali conspectu celesti et sub tali complexione et huiusmodi et puto saluo meliori iudicio quod isti impetus seu instinctus naturales quibus inclinatur homo ad frequenter operandum aliquid ex quo sequitur bonum non precognitum nec speratum est idem quod bona fortuna cum dicit quod FORTUNA EST SINE RATIONE NATURE idest impetus naturalis ad operandum aliquid sine ratione idest sine cogitatione boni quod consequitur per talem operationem et quod sic intelligit Aristoteles patet inspicienti uerba eius que sequitur Dicit enim sic IN ANIMA ENIM IUS NATURALE idest talis impetus quo impetu feruntur sub ratione ad que utique bene habebimus et si quis interroget sic habentem "Propter quid hoc tibi placet sic operari?" "Nescio umquam sic placet mihi" et in quodam capitulo sequenti

dicit TALES AUTEM BENE FORTUNATI QUI SINE RATIONE DIRIGUNT UT IN PLURIBUS idest directe agunt ita quod aliquod bonum consequitur a quo non accipiebat rationem agendi Idem plane dicit in aliquo loco uersus finem libri et PROPTER HOC QUI DE OLIM DICEBANTUR BENE FORTUNATI UOCANTUR QUI SE IMPETU FACIUNT idest secundum suum impetum operentur DIRIGUNT SINE RATIONE EXISTENTES idest directe et utiliter agunt sine ratione sumpta ab illo bono quod adipiscuntur quia illud non cognoscebant nec sperabant et non solum contingit aliquos sic acquirere bonum preter rationem sed etiam aliquando de ratiocinantur ut dicit Aristoteles idest rationem malam etiam incompetentem concipiunt qui uidetur eis contrarium esse faciendum et tamen ita fortem impetum natura habent ad illud agendum quod pretermissa ratione sua agunt illud cuius contrarium uidetur bonum per aliquam ratiocinationem et sequitur inde bonum et si egissent secundum quod sua ratiocinatio dictabat eis minus bonum [] Uerbi gratia quidam narrabat me quod ipse frequenter habet forte desiderium eundi ad campos et cum uidebatur ei per aliquam rationem quod non erat bonum quia pluebat fortiter aut frigus excessiuum uigebat et ipsa pretermissa ratione siue ratiocinatione sequebatur impetum suum et ibat ad campos et inueniebat pecuniam et aliquid aliud bonum contingebat ei de quo nihil precogitauerat Similiter autem et de multis aliis euentibus ut sciunt homines experti in actibus humanis ut ergo sit ad unum [] Talis impetus naturalis quo homo inclinatur frequenter ad operandum aliquid ex quo accipit aliquod bonum quod non intendebat dicitur bona fortuna continga Sed si raro contingat hoc dicitur bona fortuna non continga secundum Aristotelem in illo libello Hiis preintellectus possumus dicere ad conclusionem quod huiusmodi fortuna bona continga pertineat ad felicitatem perfectissimam politicam et potest probari ratione quam innuit Aristoteles in littera Illud quod ualet ad securitatem uite pertinet ad felicitatem cum felicitas sit bonum firmum et securum /primo Ethicorum/ Sed bona fortuna est huiusmodi Cum enim bonum non solum per suum ratiocinationem contingit sed etiam per suum impetum naturalem magis potest esse securus et cotinuitate seu felicitatis et per consequens delectabilius uiuere quam si numquam accideret ei bonum ex impetu naturali

Item, potest probari alia ratione Nam cum huiusmodi felicitas sit quid optimum pulcerrimum et delectabilissimum ut patet ex primo Ethicorum ad cuius [] perfectionem pertinet omne quod est secundum se bonum humanum Si enim aliquod humanum bonum esset extra eam iam non esset omnino perfectum bonum Constat autem quod huiusmodi bona fortuna ut expositum est est quoddam bonum humanum uere et secundum se bonum cum sit quidam naturalis instinctus seu appetitus ad aliquod bonum Quamuis enim appetitus naturalis sit aliquando ad malum simpliciter et per consequens malus et tamen appetitus non est nisi ad bonum simpliciter uel ad uerum bonum ut dicit Aristoteles in isto libello et Commentator in 7 Ethicorum et sicut appetitus naturalis qui consequitur naturam speciei non est nisi ad bonum simpliciter ipsius speciei Sic rationale uidetur quod appetitus naturalis natura indiuisibili qui est ad bonum ut in pluribus sic ad bonum uerum illius indiuisibili et non solum ad bonum apparens et sic talis appetitus est quoddam uere et secundum se bonum Huiusmodi autem est fortuna bona ut patet ex dictis Sed est considerandum quod felicitas potest considerari in quantum ad eius essentiam precise et sic est finis et ultimum et terminus et per consequens quid indiuisibile et sic bona fortuna non est pars eius cum indiuisibile non habeat partes ut potest considerari quantum ad omnia bona que necessario et per se requiretur ad existentiam ipsius essentie felicitatis que est operatio nobilissime uirtutis idest nobilissimi obiecti et sic bona fortuna bene est pars felicitatis et hoc modo loquebatur Boethius de felicitate in De Consolatione Philosophie ubi dicit quod EST [] BONORUM [] PERFECTUS et est notandum propter solutionem prime rationis quod nihil prohibet aliquem hominem carere ratione respectu alicuius sui actus ita quod non agat talem actum propter rationem sumptam a bono quod inde consequitur et habere rationem respectu aliorum suorum actuum plurimorum Uerbi gratia possibile est quod homini eunti ad ciuitatem aliquam occurrant due uie quarum unam acceptat sine aliqua ratiocinatione qua reputet nullam meliorem et cum multos alios suos actus per rationem sumptam ex fine ad quem ordinatur ut studere propter scientiam et ambulare propter conseruationem sanitatis et huiusmodi Tunc ad argumenta

Ad primum cum dicitur "Illud quod comitatur" etc uerum est si hoc sit uniuersaliter et respectu omni operis Sed si hoc sit particulariter et respectu aliquorum operum solum non oportet et cum dicitur quod "bona fortuna concomitatur defectum rationis et intellectus" uerum est respectu aliquorum operum humanorum a quibus contingunt aliqua bona inopinata et insperata sed non respectu omnium operum Immo bene est possibile quod homo agat secundum intentionem impetum naturalem et sine ratione aliqua opera et multa talia cum ratione deliberatiua quod non ualet

Ad aliam conceditur quod "tunc mala fortuna" etc Possum dicere quod non sequitur quia ipsa mala fortuna non remouebit totam felicitatem sed solum aliquam particulam et erit aliud quod recompensabit quia in huiusmodi infortuniis sustinendis refulgebit bonum uirtutis ut dicit Aristoteles in primo Ethicorum per hoc scilicet quod uirtuosus tales fortunas equaliter feret non recedendo per eas a rectitudine rationis nec incurrando aliquod uitium propter eas Uerum tamen est quod homo quantumcumque uirtuosus secundum communiem cursum nature et uirtute politica non potest aduenientibus ei multis et magnis infortuniis equaliter bene se habere ita quod nullo modo contristetur per ea nec emittatur ab operibus uirtuosis quod si hoc contingeret esset per uirtutes heroicas communiem modum [] transcendentis ut habet uideri in 7 Ethicorum et secundum hoc est intellegendum illud dictum Tullii in primo De Officiis "Preclara est equaliter in omni uita et illud semper [] [] facies" et illud Seneca in De Quattuor Uirtutibus Cardinalibus SI PRUDENTIAM AMPECTERIS UBIQUE IDEM ERIS et PROUT RERUM TEMPORUM UARIETAS EXIGIT SIC TE [] TEMPORI NEC TE IN ALIQUIBUS [] SED POTIUS APTAS SICUT MANUS QUE EADEM EST CUM EXTENDITUR et QUE IN PUGIUM ASTRINGITUR Hoc itaque esset a uirtute heroica sed secundum uirtutem politicam sufficit quod quamuis homo conturbetur et turbuletur per magna multa infortunia non tamen operetur propter hoc odibilia et mala sed semper sequitur rectam rationem et sic non fiet miser et hoc pulchre dicit Aristoteles in primo Ethicorum MAGNA QUIDEM et MULTA supple fortuna facta QUIDAM BENE FACIUNT BEATOREM UITAM et [] HOC CONCORDARE NATA SUNT et UERSUS EORUM BONUS et STUDIOUS ECONUERSO AUTEM ACCIDENTIA TURBULANT et CONTURBANT BEATUM TRISTITIAS ENIM INFERUNT et IMPEDIUNT MULTIS OPERATIONIBUS UNDE TAMEN et IN HIIS REFULGET BONUM CUM ENIM UTIQUE FACIT QUIS FACILITER MULTA et MAGNA INFORTUNIA NON PROPTER DOLORIS INSENSIBILITATEM SI UIRILIS EXSISTENS et MAGNANIMUS tunc supple in hoc REFULGET bonum uirtutis et subdit SI AUTEM SINT OPERATIONES DIUINE UITE QUEMADMODUM DIXIMUS NULLUS ITAQUE BONORUM FIAT MISER NEQUE ENIM ALIQUANDO OPERABITUR ODIBILIA et MALA et [] UERE et BONUM et SAPIENTEM EXISTIMAMUS OMNES FORTUNAS DECENTER FERRE et hoc dixerat superius sic et FORTUNAS FERRE OPTIME et OMNINO PRUDENTER QUI UERE BONUS et [] SINE UITUPERATIO Hec quidem sunt uerba Aristotelis que propter exercitationem scripsi Dicam igitur breuiter quod quamuis mala fortuna contingens homini pertinet ipsius aliquam particulam felicitatis pro tanto cum ipsi uirtuose seu felici modicum obest quia nec reliquas felicitatis partes nobiliores remonet et in ipsis aduersitatibus actus nobilis uirtutis puta magnanimitatis patentius exercetur modo preuiso et ideo eleganter dicit Tullius quod superius allegebatur et NON MULTUM POTEST OBESSE FORTUNA etc Unde et Seneca dicit quod NON [] ESSE ULLUM FELICIOREM QUEM NULLUS DOLOR TETIGIT QUAM QUI COTIDIE CONTRA FORTUNAM LUCTATUS EST et hoc concordet dicto Aristotelis in 7 Politice ubi dicit sic UTETUR AUTEM STUDIOUS UIR PAUPERITATE et EGRITUDINE et ALIIS MALIS FORTUNIIS BENE etc et Seneca et De Consolatione Filii Helie NUMQUAM EGO CREDIDI FORTUNE ETIAM CUM UIDETUR PACEM AGERE OMNIA QUACUMQUE IN ME INDULGENTISSIME CONFEREbat PECUNIAM HONORES GRATIAM EO LOCO POSUI UNDE POSSET SINE MOTU modo repetere interuallum inter illa et magnum habui itaque non abstulit illa non amissit neminem aduersa fortuna []

Ad aliud potest dici quod illud prouerbum Seneca intelligitur de bona fortuna non continga et ista non ponimus esse partem felicitatis uel aliter ad maiorem cum dicitur "Illud bonum cuius eminentia non est firma" etc uerum est si hoc contingat ex parte sua Sed si ex parte alterius non est uerum et cum dicitur quod excellentia bone fortune nec ex parte ipsius bene fortunati sed ex parte alterius scilicet ex parte malorum hominum per hunc modum Cum enim homines ut in pluribus sunt mali secundum exemplum

Aristotelis in 2 Topicorum et Eustratii in primo Ethicorum MULTITUDO NON EST AMATRIX
 UITUPERATIONIS MALORUM AUTEM EST CONTRISTARI IN PROSPERITATIBUS BONORUM EO QUOD NIHIL
 POTEST PROUENIRE AD MALOS QUANDO SIT MALUM QUICUMQUE ENIM EIS COTINGUNT IN NATURAM
 SUAM [] Secundum Senecam in libro De Beneficiis contingit quod cum aliquis bonus homo excellit multum
 alios et in bona fortuna et in prudentia uel sapientia et uirtute multi alii scilicet mali emulantur et inuident
 ei et machinantur contra ipsum ad eius mortem uel dehonorationem et [] et constringunt mendacia [] que
 falsis testimoniis probant et sic apparenter conuincunt ipsum de aliquo delicto uel termine ex quo
 concluditur ipsum esse puniendum per bonorum abstractionem sicut ad sensum patet in aliquibus et in
 multis historiis simile inuenitur et quod dicit Aristoteles quod eufortunium est incertum potest dici quod
 uerum est de eufortunio non continuo et de hoc etiam intelligitur dictum Commentatoris Sed eufortunium
 continuum satis est certum saltem quo ad naturam ut possit felicitatem pertinere licet non multum sit
 certum quo ad nos et propter hoc etiam bene dicit Commentator quod HOMO NON DEBET NIMIS
 CONSIDERE DE SUO BONO FORTUNO et QUOD MULTI DECIPIUNTUR IN HOC scilicet qui omnes actus suos
 relinquunt fortune sue non curantes continuari ratiocinari [] aliquibus Isti enim decipiuntur quia quedam
 sunt bona que non sunt nata contingere hominibus nisi per consilium et deliberationem sufficientem Ex hoc
 ad sequentem rationem Cum dicitur "Illud per quod homines decipiuntur non pertinet ad felicitatem"
 uerum est si hoc contingat ex [] illius rei sed si proueniat ex alio non est uerum Modo quod homines
 decipiantur ex bona sua fortuna hoc non prouenit ex natura ipsius bone fortune sed ex negligentia sua []
 consiliari et deliberare de suis agendis et forte ex corruptione sui appetitus qui in [] [] passionibus quod
 ratio deuincitur et succumbit et ad maiorem delectationem Possumus dicere quod simile est de bona
 fortuna et de quibusdam aliis bonis humanis sicut de robore et sanitate et diuitiis Quamuis enim ista non
 fuit de se mala sed [] cum contingit eis male uti ut dicit Aristoteles in isto primo capitulo UTILE AUTEM EST
 RHETORICA et idem in principio Ethicorum Similiter ipsa bona fortuna licet sit de se quoddam bonum tamen
 ex parte corrupti appetitus contingit ea male uti scilicet cum homo [] confidit de bonitate sue fortune quod
 omnia [] fortune et de nullis [] nec ratiocinando inquiritur Unde eleganter dicit Tullius in 5 Rhetorice Noue in
 quodam exemplo quod SI IN EOS PLURIMUM FORTUNA POTEST QUI SUAS RATIONES OMNES IN [] NON
 SUNT OMNIA COMMITENDA FORTUNE NE MAGNANIMITAS IN UOS HABEANT []
 Ad aliam cum dicitur "Illud cuius oppositum" etc uerum est et cum dicitur "
 Oppositum bone fortune" falsum est Quamuis enim magnanimitas pertineat ad felicitatem tamen non est
 necesse quod felix recipiat aduersitates male fortune et cum dicitur quod "uirtus acquiritur ex actibus" dico
 quod actus morales quantum spectat ad propositum sint duplices Quidam sunt interiores qui uocantur
 actus electi sicut sunt electiones mediorum uel extremorum Alii sunt actus exteriores qui dicuntur actus []
 sicut dare bona exteriora est actus liberalitatis exterior et electio talis dationis est actus interior Modo dico
 quod uirtutes possunt acquiri immo acquiruntur ex actibus interioribus frequentatis et multiplicatis ut cum
 aliquis frequenter eligit dare cum oportet et quando oportet et an oportet et quantum oportet et hoc
 acquiritur liberalitas Unde et pauper qui non habet diuitias exteriores quas largiatur potest fieri liberalis []
 ENIM UIRTUTIS MELIOREM /7 Ethicorum/ Sic in proposito magnanimitas potest acquiri ex frequenti
 consideratione et electione constanter sustinendi aduersitates sine eo quod [] et realiter contingunt Uno
 modo est cum quod per ipsos actus exteriores manifestantur et apparent habitus interiores et non per
 actus interiores quia UOLUNTATES HOMINUM SUNT OCCULTE /10 Ethicorum/ Opera autem exteriora
 manifesta sunt et manifestant habitus et electiones iuxta illud 4 Ethicorum QUALIS UNUSQUISQUE EST
 TALIA DICIT et OPERATUR, quare etc.

#JAND[1 25

#JAND[1 26

#JAND[1 27

#JAND[1 28

#JAND[1 29

et QUE NULLUS Potest hic queri rationabiliter utrum aliquid quod nullus homo habet sit bonum homini et arguitur quod non, quia tale nec est bonum anime nec corporis ut patet inductione Item, tale non est bonum quod est finis quia sic nullus haberet finem humanam et sic nullus homo esset perfectus cum perfectum sit quod habet finem /4 Metaphisice/ non est bonum ordinatum in finem quia sic non haberetur finis, quare etc.

Oppositum ponit Aristoteles

Notandum quod aliquid non haberi ab aliquo uel a nullo homine haberi potest intellegi dupliciter Uno modo quod secundum ueritatem a nullo habeatur nec secundum opinionem nec secundum estimationem nec in actu nec in potentia ut quod homo claudat totum mundum in manu sua et huiusmodi non habitum non est bonum humanum cum nec sit finis nec ordinatum in finem Alio modo intellegitur aliquid a nullo homine haberi secundum ueritatem nec in actu nec in potentia haberi tamen secundum estimationem uel opinionem Uerbi gratia magnitudo imperii a solis ortu usque ad occasum et ab aquilone usque ad meridiem et huiusmodi non est bonum humanum secundum rei ueritatem cum nec sit finis hominis nec ordinatum in finem ut satis patet consideranti talem cum non habitum potest esse bonum humanum secundum opinionem uel estimationem et si quis potest inducere homines ad credendum tale bonum esse possibile tunc propter adeptionem illius boni poterunt induci consequenter ad multa alia facienda que reputantur bona huiusmodi aut sunt que promittuntur in legibus falsis et corruptis siue peruersis sicut in lege Machometi et in quibusdam aliis similibus ut innuit Commentator Auerroes in suo Prologo super 4 Phisicorum Contingit autem maxime opinari huiusmodi bona propter consuetudinem audiendi ut patet ex 2 Metaphisice Alio modo potest intellegi aliud a nullo homine haberi secundum ueritatem et realiter natum in actu haberi tamen secundum potentiam et secundum opinionem sicut dicitur de aliquibus partibus Philosophie que a nullo homine habentur secundum actum sunt tamen possibles haberi et opinantur esse possibles et adhuc huiusmodi potest dici bonum humanum secundum potentiam et secundum opinionem cum potentia ad bonum sit quoddam bonum et similiter uera opinio de bono est quoddam bonum et iterum unumquodque sic se habet ad bonitatem sicut ad entitatem sicut satis patet ex primo Ethicorum et sillogiza et perforce quod deficit

#JAND[1 30

DE ACCUSATIONE AUTEM Potest hic queri utrum diffinitio legis proprie quam ponit Aristoteles in littera sit bona

et arguitur quod non, quia non competit omni contento sub diffinito cum Aristoteles in quoddam capitulo sequenti diuidat legem propriam in scripta et non scripta scilicet in illo capitulo INIUSTITIAS AUTEM OMNES Hic autem dicit quod LEX PROPRIA EST SECUNDUM QUAM SCRIPTAM CIUILITER UIUUNT

Item, unus rei non est nisi una diffinitio bona /6 Topicorum/ Sed ipsius legis proprie ponitur alia diffinitio in illo capitulo INIUSTITIAS AUTEM OMNES ubi sic dicit PROPRIA AUTEM QUE SINGULIS DETERMINATA EST AD SE IPSOS et in Epistula Ad Alexandrum dicitur quod "lex est sermo determinatus secundum communem concordiam ciuitatis admonens quomodo oportet agere singula" et intelligitur de lege propria, quare etc.

Oppositum dicit Aristoteles in littera

Hic est notandum quod secundum Aristotelem in littera duplex est lex communis et propria et describit in isto capitulo legem communem et etiam legem propriam et in capitulo preallegato ponit descriptiones aliquantulum diuersas ut patet inspicienti litteram Alfarabius autem in 6 capitulo sue abbreviationis dicit aliqua pulchra de istis et hec sunt eius uerba "Leges et precepta antiqua quemadmodum dicitur in sequentibus

sunt duorum modorum Quedam enim sunt propria lex cuidam genti absque alia gente et in quodam tempore absque alio tempore ut quod non commedatur caro porcula et quod non decapitetur aliquod animal et huiusmodi hiis similia Alia sunt quasi lex communis que non magis spectant ad unum tempus quam ad alium nec magis pertinet uni genti quam alteri ut quod non oportet in properam agere aduersus illum qui te non offendat et ut non properam agas ergo putes et ut uelis alteri quod tibi uis fieri et ut honor exhibeatur amicis cum libertate beneficiorum et que sunt similia hiis Fortassis autem interdum contrariatur lex propria communi legi Non enim in quibus legibus necessaria est seu debita beneficiorum exhibitio amicis et propinquis Necessaria autem est in lege communium et debita et multotiens impeditur quis a benefaciendo amicis [] ergo prorumpit in querimoniam eius amicus sed generaliter affirmare et ostendere hoc eius factum non habere turpitudinem sic tamen [] habens cum lege propria Querulosus uero nititur testificari per legem propriam que turpiter eget contra eum" etc et adit quedam alia que causa breuitatis dimitto et etiam notandum quod Aristoteles in 5 Ethicorum diuidit iustum politicum per naturale et legale et me uidetur saluo meliori iudicio quod idem uocatur ibi ius naturale et legem communem Hic et idem uocatur ibi ius legale quod hic legem propriam Hoc autem satis patet inspectis descriptionibus quas ponit hic et ibi Sed breuitatis gratia relinquo uobis inspicere uerba Aristotelis que sunt satis manifesta Nunc dico ad conclusionem quod descriptio legis proprie est bene assignata qua notificat sufficienter quid est lex propria et distinguuit eam a lege communi Lex enim communis propter sui euidenciam non indiget ut scribatur lex uero propria quia non sic est manifesta nec per naturam et per idem diuisionem/?/ quod in nobis est cognitum Ideo indiget scribi quantum est de se quamuis forsitan aliquae leges quibus reguntur domus aut aliquae particularia Tales non sunt scripte et per hoc ad primum argumentum Ad secundum uero dicendum quod unius rei non est nisi una diffinitio omnino propria et perfecta Sed unius rei possunt esse plures descriptiones secundum diuersas habitudines et sic est in proposito nam ipsa lex propria potest considerari prout diuersificatur apud diuersos et sic competit ei descriptio posita in alio capitulo Uel secundum quod omnino non est euidens ut lex communis e<s>t in ordinem finem suum et sic describitur hic Uel in habitu <***> et ad finem et sic describitur in Epistulam ad Alexandrum Aut intellego sic illam diffinitionem quod ad constitutionem cuiuslibet semper oporteat conuocari omnes ciues aut plures et petere et habere consensum eorum Sed quia instituitur lex ab aliquo principe cuius [] ipsi ciues sunt uoluntario subiecti Uel forsitan illa est diffinitio legis in politica democratica in qua populus diuinitur

#JAND[1 31

Potest hic queri utrum sanitas sit causa effectiua ipsius uiuere et delectationis et arguitur quod non, quia posterius non est causa factiua prioris cum causa sit prior causato Sed sanitas est quid posterius ad uiuere cum sanitas sit quoddam accidens et uiuere sit esse uiuentis secundum Aristotelem in 2 De Anima

Item, nulla relatio est principium actionis uel alterius predicamenti cum ipsa sit debillioris entitatis omnibus predicamentis secundum Commentatorem in 2 Metaphisice Causa autem debet esse maioris entitatis causato precipue causa actiua Sed sanitas est quedam relatio ut uult Aristoteles in 7 Phisicorum Per hoc probat quod ad eam non est motus, quare etc.

Item, si sanitas esset causa ipsius uiuere tunc remota sanitate non remaneret uiuere et sic infirmus qui caret sanitate non uiueret quod est absurdum et patet consequentia quia causa et efficiens simul sunt /2 Phisicorum et 4 Metaphisice/, quare etc.

Oppositum uult Aristoteles in littera

Quamuis illa questio non multum pertineat ad rethoricam sed magis ad naturalem phisicam quia tamen dictum Aristotelis aliquo modo est dubium non est inconueniens in huiusmodi dubitationis declaratione disgrede presertim quia raro inuenitur alibi pertractata

Notandum est igitur quod de sanitate est una opinio quod ipsa sit essentialiter relatio uidelicet commensuratio seu proportio calidi habendi frigidi et sicci in corpore uiuente Alia est opinio quod ipsa non

est essentialiter relatio sed qualitas realiter abstracta de prima specie qualitatis ut habitus quidem corporis consequitur in quandam relationem immediate et per se scilicet illam commensurationem debitam calidi etc et hoc sufficit probando quod ad eam per se et directe non sit motus ut habet uideri 7 Phisicorum Sed que istarum opinionum sit uera non determinatur ad presens Ulterius notandum quod uiuere uno modo est actus primus uiuentis alio modo est actus secundus scilicet operatio eius et istud [] in 4 genera scilicet augmentas diminui mouere se localiter per se ipsum de potentia et materia sentire et intelligere ut patet ex 2 De Anima Est autem notandum quod cum aliquid est causa per se alicuius effectus omne illud quod est ei conuictum necessario precipue dum causat effectum est causa per accidens illius effectus aliquo modo ut patet in 2 Phisicorum Quomodo autem causa per se et causa per accidens differunt non est presentis considerationis Tunc potest dici ad questionem quod sanitas nullo modo est causa ipsius uiuere prout uiuere est actus primus ipsius uiuentis et hoc bene probat prima ratio questionis Secundo potest dici quod si sanitas essentialiter est relatio ipsa non est causa per se ipsius uiuere quocumque modo sumatur Ipsa causa dico effectiua per se intrinseca quia quod non est qualitas actiua nec form substantialis uiuentis ut manifestum est, quare etc. Aliter probatio appareat quia cum anima mediantibus suis uirtutibus sit causa effectiua ipsarum operationum uiuentis que sunt quiddam motus testante Aristotele in 2 De Anima ubi dicit quod anima est causa corporis uiuentis ut forma et ut finis et ut efficiens et Commentator plane dicit ibi quod Aristoteles declarauit animam esse causam mouentem secundum omnes modos motus siue ueros siue estimatos Uirtutes autem anime sunt quedam qualitates naturales de secunda specie qualitatis secundum communem doctrinam et habet uideri in 2 De Anima Sequitur quod illud quod nec est anima nec qualitas actiua non est actiuum principium ipsius uiuere et minor est manifesta Hec enim est immediate nulla relatio est subiecta/?/ et similiter hec nulla relatio est qualitas ut patet ex primo Posteriorum, quare etc. Tertio potest dici quod ipsa sanitas si est relatio per accidens est causa ipsius uiuere quia ipsa est quod conuictum necessario ipsi anime que causat uiuere et omne tale est causa per accidens ut dictum est prius Quarto uidendum est ipsa sanitas supposito quod sit quedam qualitas essentialiter consequens immediate relationem scilicet proportionem debitam qualitatum primarum et principium actiuum ipsius uiuere prout uiuere dicit actum secundum ipsius uiuentis sed de illo uiuere quod est intellegere non est multum dubium parum exercitatum in 2 De Anima Nam principium actiuum ipsius intellegere non est nisi fantasia uel intellectus agens ut species ipsius intelligibilis uel quidditas que intelligitur uel omnia ista simul et loquor se principio propinquo Constat quod ipsa sanitas non est intellectus agens uel species intelligibilis nec fantasia nec uniuersaliter omnis ipsa quidditas et ideo non potest esse principium omnis intellegere Bene tamen uerum est quod ipsa sanitas est quedam particularis quidditas inherens corpori sano et ideo potest esse principium actiuum sue intellectionis aliquo modo et ecundum hoc posset bene dici quod ipsa est aliquo modo principium alicuius uiuere sine [] omne intellegere sit quoddam uiuere Sed de hoc non queritur Immo breuiter de toto uiuere corporis sani et si Aristoteles sic intellegeret sanitatem esse factiuam ipsius uiuere scilicet quia est actiua sue intellectionis in intellectu et ex hoc uellet habere quod ipsa sanitas sit bonum quoddam Possit similiter dici quod prodigalitas et audacia et unumquodque [] in moribus esset quid bonum nam unumquodque talium diuerso modo sit aliquid posituum est acturum seu intelligitur quoquomodo Similiter non uidetur quod ipsa sanitas sit factiua illius uiuere quod est sentire seu sensatio Nam principium actiuum ipsius sentire [] cum sentienti non est nisi anima sensitua aut uirtua anime sensitue aut species rei sensibilis [] sensum et nullum istorum uidetur esse sanitas nisi forte dicetur quod in corpore sentiente Ipsa sanitas prout est qualitas consequens proportionem qualitatum sit idem quod sensus uel uirtus sensitua sed hoc non dicetur communiter nec uidetur omnio []

#JAND[1 32

OMNE AUTEM SEPE CONFITENTES Queritur hic utrum illa regula sit uera scilicet tamen optimum unius generis est melius optimo alterius generis totum illud genus cuius optimum excedit est melius excedit aliquod totum genus Arguitur primo quod non quia optima causa est melior optimo causato ut manifestum

est Deus enim est optima causa et intelligentia Secundo est optimum causatum et constat quod Deus est melior omni causato et tamen non oportet quod omnis causa sit melior omni causato Nam materia prima est quedam causa et tamen ipsa non est melior celo quod est quoddam causatum Amplius optimum in genere actorum seu actuum est melius optimo in genere passiorum seu potentiorum scilicet ipse Deus qui est optimum actuum uel motor primus immediate mouens primum mobile et tamen non oportet quod omne actuum est melius omni passiuo uel omnis actiuus omni potentia Nam frigiditas est quoddam actuum et intellectus possibilis est quoddam passiuum et tamen frigiditas non est aliquid melius quam intellectus possibilis dico simpliciter

Item, si sic esset sequeretur quod celum esset melius simpliciter quam musca et quod musca esset melior simpliciter quam celum quod est impossibile probatio consequentie quia optimum cognoscens est melius optimo in genere non cognoscentium et sic cum musca sit cognoscens et celum sit non cognoscens circumscripta intelligentia sequitur quod musca sit nobilior quam celum

Item, cum celum sit substantia simpliciter eterna et optimum in genere substantiarum simplicium et eternarum est melius optimo in genere substantiarum compositarum et corruptibilium Musca autem est substantia composita et corruptibile sequitur quod celum est nobilius quam musca seu melius et sic ex ista propositione si est uera concluduntur duo contradictoria ut patet ex dictis <> Preterea optimum in genere uoluntatis est melius optima in genere potentiarum passionarum scilicet uoluntas Dei ergo si ista propositio est uera sequitur necessario quod omnis uoluntas est melior omni potentia passiuia Unde cum intellectus quo intelligimus sit uirtus sequitur quod uoluntas humana est melior intellectu cuius oppositum dicitur communiter ut probatur per eandem rationem "Nam cum optimum alicuius generis etc" Sed optimum in genere cognoscentium est melius optimo in genere <non> cognoscentium ut Deus qui est optimus in genere cognoscentium ergo omne cognoscens est melius non cognoscente Sed uoluntas non est potentia cognoscens intellectus autem est cognoscens ut omnes concedunt, quare etc.

Oppositum uult hic Aristoteles et in 2 Topicorum

Dicunt aliqui quod ista propositio est uniuersaliter uera dummodo optimum unius generis secundum conditionem in qua comparatur ad optimum alterius generis excellat optimum alterius generis Unde per istam propositionem uoluerunt determinare quod musca est melior quam totum celum circumseparata intelligentia mouente quia optimum in genere cognoscentium est melius simpliciter optimo in genere non cognoscentium ut Deus qui est optimus in genere cognoscentium est melior quocumque alio ente Unde cum musca sit cognoscens et celum circumseparata intelligentia non sit cognoscens sequitur per illam regulam quod musca est simpliciter toti corpori celesti nobilior et pari ratione uermis et pediculus Sed indubitabiliter istud est ualde derisibile et puerile dictum nam per eandem propositionem potest probari quod celum sit nobilius quam musca cum optimum in genere substantiarum eternarum scilicet Deus etiam secundum quod eternus est sit melior optimo in genere corruptibilium substantiarum Celum autem est substantia eterna secundum Philosophum et musca est corruptibilis sequitur quod celum sit melius simpliciter quam musca

Item, secundum istam propositionem impossibile esset euadere quando frigiditas sit melior simpliciter quam potentia intellectiua quia optimus actus secundum quod est actus scilicet Deus ipse est simpliciter melior optima potentie receptiua et sic omnis actus est melior simpliciter omni potentia receptiua Constat autem quod frigiditas est quidam actus et potentia intelligentia est potentia receptiua /3 De Anima/, quare etc. Multa alia inconuenientia sequerentur ex illa propositione ut patet etiam ex parum exercitatis in philosophia Propter quod oportet aliter dicere ad conclusionem Ad cuius euidenciam notandum quod aliquando per genus intelligitur species specialissima ut patet ex 5 Metaphisice et in prohemia Metaphisice ubi Aristoteles dicit quod hominum genus arte et ratione uiuit Aliquando etiam genus dicit commune uniuocum/?/ quod predicatur essentialiter de pluribus speciebus ut animal color et huiusmodi et hoc patet in multis locis in logica Aliquando etiam genus accipitur pro communi analogo quod predicatur de rebus diuersorum generum ut in 4 Metaphisice ubi Aristoteles dicit quod "circa illud genus uersatur sophistica et

dialectica cum philosophia” et Commentator dicit ibi “illud genus est ens simpliciter” Uterius est notandum quod indiuiduorum eiusdem speciei uerum non est per se et substantialiter melius neque nobilius alio circumstantis accidentalibus proprietatibus ut Sortes et Plato secundum suas substantias absolute sint equalis bonitatis et perfectionis Similiter autem et in aliis Nam si unum talium per suam substantiam esset simpliciter perfectius altero modo unum esset propinquens secundum naturam ipsi primo perfecto quam alterum et sic differunt secundum speciem quod est absurdum et implicans contradictionem Potest quidem contingere quod unum indiuiduum sit melius et perfectius bonitate et perfectione accidentali quam alterum eiusdem speciei indiuiduum Sed loquendo de bonitate et perfectione substantiali que precedit omnia accidentia secundum naturam unum non est perfectius reliquo Tunc dico breuiter ad conclusionem quod propositio ista non est uera de generibus analogis uniuersaliter propter instantias superius inductas quas puto esse insolubiles

Item, de generibus que sunt communia unitata predicamenta essentialiter de pluribus specibus forte non est uniuersaliter uera nam optima quantitas est melior optima magnitudine et tamen non oportet quod omnis quantitas sit melior simpliciter omni magnitudine Quis enim diceret quod frigiditas esset simpliciter ens nobilius quam magnitudo celi que est incorruptibilis uel eterna secundum Aristotelem Sed si loquitur de generibus pro specibus specialissimis sic propositio est uniuersaliter uera ut si optimus homo est melior asino et ratio huius est quod cum aliqua sunt equalis bonitatis et perfectionis si unum istorum est melius relinquo et relinquo ut si Sortes et Plato sunt equalis boni omnino quocumque sed Sortes est melior Cicerone et Plato est melior Cicerone Sed optimus homo et quilibet homo alius sunt equalis bonitatis et perfectionis secundum substantiam et per se ut probatum est ergo si optimus homo est melior optimo asino et eadem ratione quilibet homo est melior quolibet asino et quia omnes asini sunt equalis bonitatis cum optimo asino modo predicto, quare etc. Similiter autem et in omnibus aliis huiusmodi et sic patet solutio rationum que procedunt enim uis suis

#JAND[1 33

et QUANDO HOC QUIDEM SEQUITUR AB HOC Queratur hic utrum illud quod potest esse sine alio et non econtra sit melius illo

Arguitur quod non, quia uirtus potest esse sine felicitate et non econtra ut patet ex primo Ethicorum et tamen constat quod uirtus non est melior felicitate immo econtra quia felicitas est optimum pulchrum et delectabilissimum /primo Ethicorum/

Item, potentia naturalis anime potest existere sine suo actu ut potentia uisua sine uisione sicut in dormiente et cum potentia naturalis anime non est quid melius suo actu immo econtra quia actus est finis potentie /9 Metaphisice/ finis autem est melior eis que sunt ordinata ad finem, quare etc.

Item, diuitie possunt esse sine felicitate et non econtra quia sine bonis exterioribus non contingit felicem esse in De Bona Fortuna primo et 10 Ethicorum idem habetur et tamen diuitie non sunt maius bonum quam felicitas, quare etc.

Item, animal potest esse sine homine et non econtra et tamen animal non est melius homine immo econtra quia homo est ens perfectius quam animal cum includit animam rationalem quam non includit animal secundum quod animal, quare etc.

Item, Sortes non potest esse sine materia prima et materia prima potest esse sine Sorte et tamen materia prima cum sit ens purum in potentia passua non potest esse ens melius simpliciter ipso Sorte qui est quidam ens in actu, quare etc.

Oppositum arguitur auctoritate Aristotelis in littera et rationibus Nam bonum magis sufficiens est melius ut manifestum est Sed bonum quod potest esse sine alio et non econtra est magis sufficiens, quare etc. et hanc rationem tangit Aristoteles in littera

Item, bonum diuturnius et bonum certius est bonum melius /3 Topicorum et primo Ethicorum/ Sed bonum quod potest esse sine alio et non econtra est firmitus seu diuturnius alio seu communius illo et uirtus est diuturnio actu uirtutis et firmior et animal est communius homine Similiter autem et in aliis, quare etc. Item, tactus potest esse sine uisu /2 De Anima/ et tamen tactus non est melior simpliciter uisu ut omnes concedunt, quare etc. Uidetur me ad presens quod ista propositio non est nisi uerisimilis quadam uerisimilitudine non forti habet enim ueritatem ubi comparatur ad inuicem diuersa bona diuersorum generum quorum unum est eterna et aliud corruptibile Uerbi gratia aliqua possunt esse sine omni accidentie ut Deus et intelligentie alie secundum Aristotelem et Commentatorem et tamen nullum accidens potest esse sine omni substantia et constat quod substantia est melior accidentie Similiter celum potest esse sine asino et non econtra et quid melius an celum uel hic asinus puto quod non nisi asinus diceret aliquid asinum meliorem celo dicto simpliciter Similiter anima intellectiua Sortis potest esse sine corpore Sortis proprio et non econuerso quia statim separata anima dispositiones deficiunt quibus erant proprium Sortis et certum est quod anima intellectiua est melior corpore proprio Sortis prout corpus dicit alteram partem compositi, quare etc. et secundum hoc diceretur ad instantias quod bene ostendit propositionem istam non esse uniuersaliter ueram Sed hoc non obstante potest esse uerisimilis et hoc sufficit rhetorici Per hanc enim propositionem posset aliquis hortari quod bona anime sunt meliora bonis corporis quia scilicet anima est melior corpore Tamen anima possit esse sine corpore et non econtra Per hoc etiam possit rhetor hortari Deum esse meliorem omnibus istis corruptibilibus rebus quia scilicet potest esse sine eis et non econtra Per propositiones frequenter hortantur homines populares et rudes et sufficit et hoc uidetur insinuare Aristoteles in littera ubi dicit "quare magis bonum uidetur" Si tamen uellemus dicere propositionem esse uniuersaliter ueram oporteret eam exponere ut diceremus bonum illud quod potest esse sine alio et non econtra est melius isto alio quantum est ad aliquam proprietatem Uerbi gratia materia prima quantum est ad istam proprietatem que est perpetuitas est melior Sorte quantum ad istam proprietatem que est communitas et melior homine quantum ad istam proprietatem que est specialitas uel aliquid huiusmodi alterum Similiter autem in aliis suo modo Uirtus enim quantum ad istam condicionem que est Commentatoris firmitas est melior operatione Nescio tamen si Aristoteles sic intellexit hic istam comparisonem Ad instantias patet ex dictis

#JAND[1 34

CONSEQUENTER QUERITUR utrum bonum quod est cum inuidia sit melius eo quod est sine inuidia Arguitur quod non, quia illud quod contristat non est melius eo quod non contristat cum tristitia sit quoddam malum /2 et 10 Ethicorum/ Sed bonum quod est cum inuidia contristat cum inuidia est quedam tristitia /2 huius/, quare etc.

Item, si illud quod est cum inuidia sit maius bonum illo quod est sine inuidia non est maius bonum sicut si illud quod est cum iustitia sit magis bonum illo quod est sine iustitia non est magis bonum sed consequens est falsum secundum Aristotelem in illa littera "factiui post aliam partem et quod rarius" ubi uult quod illud quod est sine inuidia raro est minus bonum

Item, si illud quod est cum inuidia esset magis bonum sequeretur quod inuidia esset bonum quod est absurdum probatio consequentie quia illud quod adiunctum alicui facit totum melius oportet quod sit bonum ut patet in consequentibus et in 2 Topicorum

Item, si sic esset sequeretur quod unus pulcher eques esset maius bonum quam sapientia uel cognoscentia quia magis inuidetur homini ex eo quod habet pulchrum equum quam ex eo quod habet cognoscentiam uel scientiam uel arismetiam Modo si "simpliciter ad simpliciter et magis ad magis" /2 Topicorum/ Si ergo illud quod est cum inuidia est magis bonum ergo est cum inuidia est magis bonum et sic sequeretur inconueniens predictum

Oppositum uidetur uelle Aristoteles in littera

Dicit enim "quod rarius esse sine inuidia [] est melius ut aurum ferro" et Expositor addit ei quod est rarius et per consequens cum inuidia, quare etc.

Dicendum breuiter quod bonum quod est cum inuidia uno modo est melius eo quod est sine inuidia et alio modo econtra comparando bona eiusdem ordinis ad inuicem ut bonum anime ad aliud bonum anime et unum bonum corporis ad aliud bonum corporis Bonum enim quod est cum inuidia idest ratione cuius inimici inuident habenti ipsum est melius quantum ad excellentiam delectationis Nam illud quod magis contristat inimicum magis delectat habentem Sicut enim uniuscuiusque delectat ipsum sic debet contristare inimicum ergo quod magis contristat inimicum magis delectat habentem Sed bonum quod est cum inuidia contristat inimicum illius qui habet huiusmodi bonum ut manifestum est Nam inuidia est tristitia de apparenti bono alicuius qui inuidet ut patebit in 2 huius bonum autem quod est sine inuidia non sic contristat, quare etc. Sed ipsum bonum quod est cum inuidia est minus bonum quantum ad facilitatem conseruationis quia non ita facilliter conseruatur diu illud in quo inuidetur eidem cum enim inimici alicuius tristantur de bono eius tunc laborant ad remotionem illius boni ab eo quod non facerent si non inuiderunt ei in isto bono Sicut enim unus Magister in Artibus multum excedit alios in lucrando per lecturam et honoratur et amatur a scolaribus alii machinantur ad remonendum ei lecturam et sic in pluribus, quare etc. Quod bonum quod est cum inuidia est magis bonum intensiue sed non extensiue durationis Ad rationem ad primam cum dicitur "Illud quod contristat" etc uerum est si contristat habente ipsum Sed si contristat inimicum potest esse bonum Nam sicut eiusdem moris est amicis bene facere et inimicis male secundum Philosophum sic eiusdem boni est delectare habente ipsum et contristare inimicum uel illum qui careret tali bono Omnino bonum in quo inuidetur alicui non contristat ipsum per se sed bene contristat eius inimicum, quare etc. Ad aliud patet ex dictis Nam illud quod est cum inuidia est bonum et melius aliter tamen et aliter et hoc nullum est inconueniens

Ad aliud dicendum quod inuidia licet non sit bonum illi qui inuidet tamen est bonum qui inuidetur Nam inuidia si simpliciter aduenerit est consumptia sui auctoris secundum Boethium in De Disciplina Scholarium Si autem cui aliquis inuidet bonum est illud consumi qui inuidet saltem in quantum huiusmodi

Ad aliud dicendum est quod non sequitur quod comparantur bona eiusdem ordinis seu eiusdem generis propinqui modo eques est quoddam bonum corporis et scientia est bonum anime quare non ualet instantia sed bene ualeret magis inuidetur alicui pro magnis hominibus quam pro paucis, quare etc. Igitur magni honores sunt meliores moribus Similiter magis inuidetur alicui pro uno pulchro equo quam pro pulchra ueste ergo pulcher eques est melior pulchra ueste Similiter magis inuidetur alicui pro astrologia quam pro logica ergo astrologia est melior logica Sed aliquis posset instare quia homines magis inuident alicui ratione sue scientie quam ratione boni uisus uel boni auditus et tamen scientia non solum est melior uisu et auditu quantum ad intentionem delectationis Inquire ulterius Forte propositio est restringenda Ad bona exteriora

#JAND[1 35

CONSEQUENTER QUERITUR utrum illud quod sit difficilium sit melius

Arguitur quod non, quia illud quod est cum maiore tristitia non est melius eo quod est sine tristitia uel eo quod est cum minore tristitia ut patet in isto primo Sed bonum difficilium est cum maiore tristitia ut manifestum est, quare etc.

Item, bonum facilius est melius ut dicit Aristoteles in littera Ergo difficilium non est melius quia sic idem esset melius se ipso

Item, si sic esset sequeretur quod melius esset facere domum ex ferro quam ex ligno cum sit multum difficilium Consequens falsum est quia tunc domificatores deberent facere domos ex ferro cum ars imitetur naturam /2 Phisicorum/ Natura autem semper facit quod scilicet melius est /2 De Generatione/, quare etc. Item, temperantia est difficilior quam mansuetudo et tamen temperantia non est melior mansuetudine, quare etc. Maior patet quia ista uirtus est difficilior ad quam necessario est actus difficilior sed ad temperantiam requiretur actus difficilior quam ad mansuetudinem Nam secundum Aristotelem /2

Ethicorum/ difficilium est resistere concupiscentie scilicet gustus et tactus Ad mansuetudinem uero requiritur resistere iracundie et sic uidetur quod difficilium sit acquirere temperantiam quam mansuetudinem et minor patet quia uirtus est melior cui opponitur peius uitium ut satis patet ex isto primo Modo iracundia que opponitur mansuetudini est peius uitium quam concupiscentia tactus et gustus que opponuntur temperantie Nam per ipsam iracundiam contingunt plura et peiora mala sicut dissensiones bella homicidia complicationes/??/ et huiusmodi talia uero tanta non uidentur contingere per se et immediate ex concupiscentia inordinata que opponitur temperantie, quare etc. Oppositum dicit hic Aristoteles

Notandum est quod bonum difficilium potest considerari dupliciter Uno modo quantum ad suum fieri seu acquiri Alio modo quantum ad suum factum esse seu acquisitum esse Dicunt aliqui quod bonum difficilium est melius quantum ad factum esse seu acquisitum esse quam bonum facile uel minus difficilium ita quod quanto laboriosius aliquid acquireretur tanto carius possidetur Sed bonum ut minus difficile est melius quantum ad fieri seu acquiri quam difficilium Sed illud uidetur mihi bene esse dubium quia certum est quod factum est finis ipsius fieri et acquisitum esse est finis ipsius acquiri sicut etiam forma est finis ipsius generationis /2 Phisicorum/ Modo cuius finis melior est ipsum quoque melius est Si igitur bonum difficilium est melius quantum ad factum esse seu acquisitum esse debet etiam esse melius quantum ad fieri seu etiam acquiri Nec ualet si dicatur quod fieri rei difficilium uel laboriosius et magis cum tristitia quam fieri rei facilius Nam quamuis ex parte ipsius fieri uel ipsius acquiri boni difficilioris maior sit tristitia quam in fieri boni facilius tamen aliud est quod recompensat quia non solum delectatio prouenit ex usu boni presentis sed etiam spes boni futuri et memoria boni preteriti ponunt delectationem quandam ut manifestum est per experientiam et habetur a Commentatore in libello suo De Memoria et Reminiscencia et ab Aristotele in sequentibus capitulo SUMMUM ITAQUE CONFERENTIA Dicatur igitur quod quanto aliquod bonum est magis quantum ad suum factum esse et acquisitum esse tanto faciens uel acquirens in faciendo uel acquirendo ipsum magis delectatur in spe consequendi aut perficiendi ipsum et illa delectatio requirit tristitiam que habetur in faciendo aut acquirendo bonum aliud quam habet ex se attingendi ipsum fortior est quam tristitia quam habet ex labore illo Nam si tristitia esset maior et obtineret/??/ tunc dimitteret laborem illum sicut dicitur in 2 Ethicorum de uero forti qui multas tristitias corporales sustinet in bello pertuti enim dolorosum est et huius tamen spes uictorie inducit maiorem delectationem in tantum quod propter istam tristitiam non fugit nec dimittit actum fortitudinis Est ergo aliter dicendum ad questionem ad eius euidenciam considerandum quod homines quantum spectat ad propositum sunt dupliciter dispositi Quidam enim sunt magnanimi et magnifici et omnino uirtuosi Alii sunt pusillanimes et molles et delicati Tunc dico quod duorum bonorum eiusdem generis propinqui illud quod est difficilium est melius hominibus magnanimis et magnificis et omnino uirtuosis Secundo dico quod hominibus mollibus et pusillanimibus est econtra Primum patet quia illud quod magis delectat hominem est melius Natura enim maxime uidetur appetere delectabile et fugere triste Sed bonum difficilium saltem cum acquisitum est magis delectant habentem ut manifestum est, quare etc. et dico de hominis eiusdem generis propinqui quia si essent diuersorum generum magis esset dubium Nam difficilium uidetur domificare et fabricare quam acquirere scientiam speculatiuam et tamen non est dicendum quod fabricare aut domificare uel bona que acquiruntur per ista sunt meliora quam scientie speculatiue Intellegendum est igitur de bonis eiusdem generis et ceteris existentibus equalibus utrobique et respectu uirtuosorum hominum quod de bonis duobus diuersis illud est melius quod est difficilium et propter hoc uirtus est circa difficile bonum /2 Ethicorum/ Sed apud homines molles aut pusillanimes bonum facile est melius quam difficilium quia tales nolunt sustinere aliquas tristitias propter bonum futurum sed uolunt uti bono presenti quod est delectabile secundum sensum et hoc forte uoluit dicere Aristoteles cum dicit ALIO AUTEM MODO QUOD FACILE DIFFICILIORI Potest etiam aliter intellegi quod cum aliquid bonum quod potest fieri uel acquiri per duo media ita quod eius commode et honeste et delectabiliter per unum sicut per alterum si unum illorum mediorum est facilius quam alterum illud quod est facilius est melius Uerbi gratia si aliqui ciues possunt

habere pacem cum inimicis suis ita bene commode et honeste sine pugna cum illis sicut pugna seu bello uidelicet quod inimici eorum ponunt se et sua in uoluntate ipsorum ad faciendum uoluntatem de alto et basso et huiusmodi tunc melius est habere sic pacem quam militando et bellando sic contra eos quia difficilium est optinere per bellum quam per illum primum modum nisi forte dicatur quod immo melius erit impugnare ipsos quia honestiora et maius signum uirtutis et fortitudinis recipiatur gratia exempli quod dictum est et forte adhuc exemplum est uerum non enim utendum est fortitudine in bello ad inimicos nisi quando aliter non possunt subiugati inimici Multa autem exempla possunt poni sed dimitto gratia breuitatis Prima expositio bona est ut puto Ad primum argumentum patet ex dictis Nam licet bonum difficilium sit cum maiori tristitia saltem quantum ad acquisitionem suam tamen in acquirendo est quedam delectatio propter spem optinendum que ira tristitiam diminuit Uniuersaliter enim delectatio tristitiam minuit et que simpliciter et que contraria /7 Ethicorum/

Ad aliud patet ex dictis Nam bonum facilius est melius apud molles homines delicatos et pusillanimes sed apud uiriles homines et maganimos difficilium bonum est melius quia magis est signum uirtutis et quia res debet iudicari talis quantum ad bonitatem et malitatem qualem iudicat eam studiosus Nam studiosus circa singularia uerum iudicat et in singulis uerum ei apparet /2 Ethicorum/ Sicut etiam res debet iudicari talis coloris qualis iudicatur ab illo qui habet uisum bene dispositum ideo simpliciter et absolute bonum difficilium ceteris paribus est melius quam minus difficile presenti quia raro contingit quod eque commode honeste et delectabiliter aliquod possit fieri per facilius et per difficilium et secundum talia non est iudicium artis et scientie

Ad aliud nego consequentiam quia quamuis sit difficilium facere domum ex ferro quam ex ligno tamen cetera non sunt paria quia non eque bene posset haberi ferrum uel sufficiens portio ferri ad faciendum domum sicut ligni et sic habetur non ita cito posset fieri ex ferro sicut ex ligno Uel dicatur quod facere domum ex ferro non est bonum et ideo quamuis sit difficile non sequitur quod sit magis bonum quam facere domum ex lignis quia comparatiuus presupponit sibi posituum quod autem non sit bonum simpliciter Patet auctoritate artificum qui numquam fecerunt domos ex solo ferro et itaque propositionis intentio est quod duorum bonorum illud quod est difficilium ceteris paribus est melius

Ad aliud potest dici quod temperantia non est difficilioris intentionis acquisitionis quam mansuetudo immo econtra et cum dicitur quod difficilium est oppugnare cupiditati quam ire dico quod difficultas oppugnandi seu resistendi alicui passioni prouenit ex altero duorum uel ex assuuitate uel generalitate illius passionis uel ex impetu et uehementia ipsius passionis Primo modo difficilium est resistere concupiscentie Uenerorum et nutrimentorum quam ire quia frequenter concurrunt huiusmodi concupiscentia et eius obiecta et alie cause Sed secundo modo difficilium est resistere ipsi ire quia impetus et uehementia ipsius ire est fortior in hora in quam contingit et propter hoc iracundus non est insidiator ut dicit Aristoteles in 7 Ethicorum Sed adhuc remanet ergo que istarum simpliciter sit difficilior uel propter genera istarum causarum sit difficilium resistere simpliciter alicui passioni

Forte dicendum quod extensiue difficilium est resistere concupiscentie quam ire quia scilicet frequentius et diuturnius oportet ei ad acquirendum temperantiam quam ire ad acquirendum mansuetudinem sed ipsi iracundie difficilium est resistere intensiue quam concupiscentie et sic non est simpliciter respondendum Uidetur tamen quod simpliciter mansuetudo est uirtus nobilior et melior quam temperantia quia peius est contrarium ipsius mansuetudinis quam temperantie ut arguebatur et forte de hoc uidebitur magis inferius

#JAND[1 36

et DELECTABILIBUS Queritur hic utrum delectatio sit appetibilis propter se siue gratia ipsius Arguitur quod non, quia solum bonum quod est finis ultimus est appetibile propter se /1 et 10 Ethicorum/ Sed delectatio non est finis ultimus quia delectatio est finis uoluntatis /3 De Anima et 3 Ethicorum/ Finis autem ultimus hominis debet esse operatio intellectus /10 Ethicorum/, quare etc.

Oppositum dicit Aristoteles

Notandum est hic quod sicut bonum honestum non solum dicitur illud quod natum est appeti non propter aliquod aliud sic enim solum felicitas esse est bonum honestum quod est manifeste falsum ut patet per Aristotelem 2 Ethicorum et in isto primo Sed etiam dicitur bonum honestum illud quod natum est appeti propter aliquid diuersi modo non solum et precipue sit natum appeti propter aliud secundum se ita scilicet quod quamuis nullum aliud bonum consequeretur tamen esset natum appeti Sic proportionabiliter non solum dicitur bonum appetibile secundum se pro tanto quod non potest appeti propter aliquid aliud sed pro tanto quod natum est appeti etiam si nullum aliud bonum inde contingeret Tunc potest dici quod delectatio non est appetibilis secundum se Primo modo ita scilicet quod propter nullum aliud magis bonum possit appeti et hoc satis probat ratio preinducti/?/ et hoc uidetur esse intentio Aristotelis in 10 Ethicorum capitulo SENSUS AUTEM OMNES AD SENSIBILE ubi dicit quod propria delectatio auget operationem magis enim inducant et crebrius exquirunt cum delectatione operantes et sic uidetur quod delectatio nata est appeti propter augmentationem uel conationem operationis, quare etc. Qualiter autem delectatio se habet ad operationem inquerendum est in 7 et 10 Ethicorum Ipsa tamen delectatio bene est appetibilis secundum se et gratia ipsius secundo modo uidelicet quod ipsa nata est appeti dato quod ex ea non consequeretur aliud bonum maius sicut etiam Aristoteles dicit in prohemio Metaphisice "quod ipsum uidere diligius uel agere debentes" idest sine hoc quod per ipsum aliquid agamus uel operamus quod autem sic potest probari nam quelibet perfectio anime uidetur esse appetibilis secundum se hoc modo sed ipsa delectatio siue sit sensualis siue intellectualis est quedam perfectio anime ut patet ex 7 Ethicorum Est enim delectatio operatio generalis habitus non impedita ut habetur ex 7 Ethicorum capitulo QUI AUTEM NON ACCIDIT et talis operatio est quedam perfectio anime, quare etc. Utrum tamen ipsa delectatio sit idem essentialiter quod operatio secundum quam homo delectatur bona perscrutatio est licet non habet hic locum Ad argumentum patet ex dictis Nam solus ultimus finis sic est propter se appetibilis quod propter nullum aliud appetatur saltem tamquam propter bonum interius sed que alia sunt secundum se appetibilia alio modo ut expositum est

#JAND[1 37

Utrum melius sit bene agere quam bene pati

Arguitur quod sic, quia melius est agere quam pati ut patet 4 Ethicorum et ex 3 De Anima SEMPER ENIM AGENS EST PRESTANTIUS PATIENTE ergo bene agere est melius quam bene pati Nam sicut se habet agere ad pati sic bene agere ad bene pati et melioris totius sunt meliores partes Nunc agere est quoddam totum ad bene agere scilicet totum an modum, quare etc.

Item, DARE EST MELIUS QUAM RECIPERE /4 Ethicorum/ sed dare est quoddam bene agere et recipere quoddam bene pati ergo etc

Oppositum dicit Aristoteles in littera

Possumus dicere breuiter quod benefacere est minus bonum et minus utile ceteris paribus quam bene recipere ceteris paribus scilicet supposito quod utrumque lateret et sic quod ipsum bene facere est bonum honestius quam bene pati sine qua bene recipere Primum patet quia illud per eius frequentationem maxime depauperatur homo est minus bonum utile sed per benefacere precipue secundum liberalitatem magis depauperatur homo supposito quod utrumque lateret Si enim aliquis frequenter daret beneficia alicui et ille hoc non cognosceret non retribueret ei ita frequenter Talis autem facilliter depauperatur quia multum frequenter dat et nihil aut modicum recipit sed ille qui frequenter reciperet non sic depauperaretur saltem quantum ad possessionem diuitiarum Secundum patet quia illud bonum est honestius quod est difficilius quia circa talem magis est uirtus /2 Ethicorum/ Sed benefacere est difficilius quia nos magis communiter inclinamur ad recipiendum bona [] quam ad dandum Tale autem est nobis difficilius Ad eius contrarium magis inclinamur /3 Ethicorum/

Item, illud est honestius per quod magis imitantur bonum honestissimum scilicet PRIMUM PRINCIPIUM QUOD EST DEUS TOTALITER OMNIUM OPTIMUM EORUM QUE IN NATURA ut est manifestum, quare etc.

Sed queret aliquis utrum aliquo modo eliciendum sit benefacere alicui latenter scilicet quod lateat [] an benefacit

et forte dicendum quod non est simpliciter eliciendum etiam tamquam honestum quam laudabilissimam sunt beneficia que sunt ad amicos in 8 Ethicorum Sed constat quod beneficia que sunt ad amicos debent esse latentia quia amicitia est mutua beneuolentia non latens /6 Ethicorum/, quare etc. Totum in aliquo casu est eligendum scilicet cum dantur aliqua que succurunt infirmitati egestati et ignomine Tunc enim dandum est sic quod ille cum datur nesciat et hoc eleganter docet Seneca in primo De Beneficiis ubi sic ait RURSUS QUE NON PRODUCUNT NEC HONESTIOREM FACIUNT SED SUCCURUNT INFIRMITATI EGESTATI AUT IGNOMINE TACIDE DANDA SUNT NEC NOTA SUNT SOLIS QUIBUS PROSUNT et subdit ad propositum INTERDUM etIAM [] [] FALLENDUS EST NEC/UT HABEAT NEC A QUO ACCIPIT SCIAT QUOD ERGO ILLE NESCIAT A QUO ACCEPIT PRIMUM NESCIAT SED HOC IPSUM BENEFICIUM PARS EST DE [] MULTA ALIA FACIAM MULTA TRIBUAM PER QUE INTELLEGAT et ILLIUS ACTIONEM DENIQUE ILLE NESCIET ACCIPISSE EGO SCIAM ME DEDISSE PARUM IN QUIS PARUM EST [] COGITAS SED SI DARE QUO GENERE ACCIPITI MAXIME PRO FUTURUM DABIS CONTENTUS ERIS TE TESTE ALIO [] NON BENEFACERE DELECTAT SED UIDERI BENEFECISSE Sed queraret aliquis quare in talibus casibus eligendus est talis modus benefaciendi forte causa huius est quia cum aliquis constitutus est in egestate infirmitate uel ignoratia multum contristatur ex hoc quod cogitur indigere extrinseco adiumentorio Omnis enim defectus boni indicat tristitiam in subiecto Unde et Aristoteles dicit in 2 huius QUID INSPICIENTES MALA PROPRIA CONDOLENT OMNES Modo uerus benefactus et debet fugere contristationem illius cur benefecit quia tristitia stupefacit et corrumpit naturam habentis /3 Ethicorum/ et ipsum delectare secundum posse multum autem delectatur homo cum ipse uidet se habere talem amicum qui succurrit ei et non requisitus omnino et sine omni expectatione retributionis et ideo in talibus casibus eligendum est sic dare simpliciter cum et ut in pluribus magis eligendum est palam benefacere Unde et ipse Seneca in eodem primo dicit EGO SI FIERI POTEST CONSUMI MINUS MEUM UOLO [] et HEREAT AMICO MEO CONIUUAT et alibi in sequentibus dicit NEMO ENIM GAUDET BENEFICIUM SUUM LATIUS PATERE Ad rationes patet ex dictis Bene enim concludunt quod benefacere est bonum honorabilius quam bene pati et tamen bene pati potest esse bonum utilius aliquo modo et quia apud plures homines plus eliguntur bona utilia quam honesta Ideo apud multos melius reputata bene pati quam benefacere quia benefacere magis frequenter est ad opinionem quam ad ueritatem quod patet quia pauci eligerent benefacere latenter et tale uocetur bonum ad opinionem Sed multi eligerent bene pati latenter et ideo isto modo benefacere est minus bonum quam bene pati Dico secundum iudicium plurimum sed secundum iudicium uirtuosorum sine dubio benefacere est honestius quamuis raro eligatur nisi appareat ut dictum est non enim eligitur principaliter ut appareat sed ex conuenienti ut benefaciens iudicat alios ad benefaciendum

#JAND[1 38

CONSEQUENTER POTEST QUERI utrum bonum quod non latet presens existens sit melius quam quod latet Arguitur quod non, quia sic diuitie essent meliores quam sapientia et omnes habitus intellectuales quod est absurdum et contra Aristotelem in tota morali scientia et est manifesta consequentia quia diuitie presentes non latent sed multotiens scientie et uirtutes anime latent cum sint insensibiles, quare etc. Preterea sequeretur quod color esset nobilior quam sapientia etc et quod corpus esset nobilium quam scientia intellectus

Oppositum dicit Aristoteles "et que non latent presentia quam que latent"

Notandum quod aliquod bonum dicitur latere uel quia non cognoscitur a sensu uel quia non est certum ipsum esse bonum Sed dubium et occultum credo saluo meliori iudicio intentionem Aristotelis esse quod si duo media ordinentur ad unum bonum tamquam ad finem illud medium est bonum melius cuius bonitas est certa et manifesta quam illud cuius bonitas latet Dummodo ambo sunt presentia illi qui habet eligere Uerbi gratia si quis posset ire ad aliquem locum per duas uias et esset ei certum quod una istarum uiarum

esset bona per totum et de alia ignoraret melior esset illa quam ista uel magis eligenda et dico "eligenda" quia bene est possibile quod una uia sit melior et rectior et tamen lateat eam ducere ad terminum intentum et alia sit magis obliqua et tamen certum sit ducere eam ad eundem terminum et tunc uia certa est magis eligenda iuxta illud "tene certum dimitte dubium uel incertum" Sed si constaret aliquibus ciuibus quod possent inimicos suos uincere prohibendo eis ingressus nutrimentorum et aliorum bonorum et non constaret eis quod possent eos uincere per arma etiam presentia forte melius esset eos uincere primo modo saltem ceteris paribus Similiter autem et in aliis huiusmodi possidere diuitias et uti diuitiis Utrumque eorum ordinatur ad felicitatem et constat quod melius est uti eis quam possidere eas quia ipse usus presens non latet Possessio uero magis latet Modo autem uidetur esse intentio Aristotelis quod uniuersaliter comperando bona diuersorum generum ad inuicem illud sit melius simpliciter quam presens non latet quam quod latet sicut satis probant argumenta preinducta Cum autem primo modo sit uera satis patet inductione inexistentis predictis Similiter si aliquis diceret se esse amicum tuum et non faceret tibi aliquid bonum exterius et alius faceret tibi bonum manifeste magis deberes istum reputare bonum amicum quam illum et sic sequi uidetur quod beneficentia exterior est melior quam bona uoluntas exterior sine exteriori beneficentia quod tamen aliquo modo est dubium quia uoluntas est in meliori subiecto quia in anima rationali quam beneficentia exterior que est in aliquo corpore sensibile nisi forte dicatur quod actus exterior est melior pro quanto est finis interioris actus ut communiter dicitur Sed in quantum est res corporalis est nullus nobilis actu interiori in quantum est spiritualis actus et in subiecto nobiliori sicut arguebatur et forte actus exterior non est nisi finis quo scilicet per quem manifestatur actus interior et non est finis gratia cuius ipsius actus interioris Modo finis quo non est semper melior simpliciter eo quod est ad finem sicut ista inferiora non sunt meliora simpliciter motoribus superioribus quamuis motores moueant propter ista interiora ut propter finem quo idest per quem conseruat suam perfectionem scilicet caliditatem in qua committant cum primo de hoc autem non determinatio ad presens secundum scientia morali hoc per quirendum est an actus uirtutis interior scilicet electio medii sit melior quam actus exterior Sufficiat autem ad presens uidisse qualiter propositio Aristotelis sit intellegenda scilicet quod bonum quod non latet existens presens est melius bono quod latet existens presens Ad argumenta patet ex dictis quia ibi comparentur bona diuersorum ordinum ad inuicem que non sunt media sufficientia ad aliud unum acquirendum et de talibus non est intellegendum Nec ualet quod Aristoteles subdit diuitias esse magis bonum quam opinionem Hoc enim non dicit nisi secundum opinionem aliorum ut patet ex modo loquendi quia dicit quod propter [] uidebatur utique maius bonum quam opinari, quare etc.

#JAND[1 39

POST HEC AUTEM DICAMUS DE UIRTUTE Queritur hic utrum ad istam scinetiam pertineat considerare de uirtute

Arguitur quod non, quia pertinet ad monasticam siue ethicam ut patet libro Ethicorum Non ergo ad rhetoricam quia DIUERSE SCIENTIE SUNT DE DIUERSIS et NON DE EADEM /primo Posteriorum/ Preterea contra/qua ratione in ista scientia consideraretur de aliquibus uirtutibus moralibus eadem ratione de omnibus Sed ipse Aristoteles non considerat de aliquibus uirtutibus moralibus scilicet de mansuetudine eutrapelia/?/ ueritate affabilitate honoris amatiua que sunt uirtutes morales distincte ut manifestum est in 4 Ethicorum, quare etc.

Oppositum patet per Aristotelem in littera

Notandum <est> quod uirtutes morales possunt considerari tripliciter Uno modo in quantum per eas homo est bonus Secundo modo in quantum ordinatur ad felicitatem Tertio modo in quantum sint fines negotii exclamatiui siue demonstratiui cuius est laudatio et uituperatio Primis duobus modis non pertinent ad rhetoricam quia sic pertinent ad ethicam ut patet ex libro Ethicorum Tertio modo pertinet ad rhetoricam quia ad illam artem cuius est cognoscere modum laudandi et uituperandi pertinet cognoscere illa pro quibus homines laudandi sint et uituperandi Hec est manifesta per se sed homines sunt laudandi pro

uirtutibus Laus enim est sermo elucidans magnitudinem uirtutis ut uidebitur post et per oppositum uirtutis uituperantur seu increpantur ut manifestum est Ad ipsam autem rhetoricam pertinet cognoscere modum laudandi et uituperandi quod statim potest probari Nam omne quod potest fieri recte et non recte pertinet ad aliquam artem cum ars sit rectam rationem scibilium /6 Ethicorum/ Sed contingit laudare recte et non recte et similiter uituperare ut manifestum est cuilibet ut habetur in illo libro Unde et Seneca dicit quod REPREHENSIBILIS EST NIMIA LAUDATIO et IMMODERATA UITUPERATIO et per consequens melioris est bona et eligenda Ad primum argumentum patet ex dictis Ad secundum potest dici quod cum Aristoteles consideret hic de uirtutibus prout de ipsis et per eas fuit sermones laudatiui et laus est sermo elucidans magnitudinem uirtutis Rationabile est hic considerare illas uirtutes que habent aliquam magnitudinem laudabilem et euidentem nisi cuius actus notabiliter confert ad publicam utilitatem seu ad bonum communem Modo sine dubio actus illarum uirtutum quas Aristoteles pretermittit hic non habent multum notabilem profertum ad communem bonum Eutrapelia est uirtus per quam aliquis bene se habet in ludis et solaccis et ueritas est uirtus per quam aliquis uerbis aut factis ostendit se talem qualis interius est uel non ostendit se meliorem uel minus bonum et honoris amatiua est uirtus propter quam homo bene se habet ad honores mediocres Affabilitas autem est uirtus per quam homo bene se habet in colloquiis cum quibuscumque Ita quod nec est adulator nec proternus et isti actus licet sint bene honesti non tamen habent ita manifestam habitudinem ad communem bonum sicut actus illarum uirtutum quas Aristoteles enumerat De mansuetudine uero que multum necessaria est puto quod Aristoteles comprehendit eam sub temperantia et magnanimitate et liberalitate Nam homines raro pugnant nec irascuntur nisi propter Uenera aut nutrimenta aut honores aut diuitias Unde si quis rationabiliter se habeat ad Uenera et ad delectationes nutrimentorum per ipsam temperantiam et ad honores per magnanimitatem et ad diuitias per liberalitatem bene se habeat ad iras et ad oppositum ire quod patet ad mansuetudinem et sic satis comprehenditur mansuetudo in aliis uirtutibus

#JAND[1 40

CONSEQUENTER QUERITUR utrum fortitudo sit melior uirtus quam liberalitas

Arguitur quod non, quia illa uirtus est melior cuius contrarium est peius ut satis patet ex isto primo et 2 Ethicorum Sed contrarium liberalitatis est deterius quam contrarium fortitudinis Probatio quia contrarium liberalitatis est auaritia per quam ratio subicitur bonis exterioribus uel desiderio considerandi bona interiora puta uitam propriam et sanitatem Modo sicut bona exteriora sunt minus bona interioribus sic uitium quo ratio subicitur bonis exterioribus est peius eo uitio quo ratio subicitur bonis interioribus, quare etc. Oppositum uidetur uelle Aristoteles in littera ubi dicit sic NECESSE EST ESSE MAXIMAS UIRTUTES EAS QUE ALIIS HONORATISSIME SI QUIDEM EST UIRTUS POTENTIA BENEFACTIUA PROPTER QUOD FORTES et IUSTOS MAXIME HONORANT etc Dico breuiter quod fortitudo est melior uirtus quam liberalitas Nam illa uirtus est melior per quam conseruatur magis et defenditur communem bonum ut manifestum est intelligenti quod est fortitudo ex 3 Ethicorum et ex isto loco Nam fortitudo est uirtus per quam homines sunt actiui bonorum operum in periculis belliciosis propter defensionem boni communis in quibus imminet mors que est ultimum corruptibilium Per liberalitatem uero non sic defenditur nec conseruatur bonum communem contra inimicos Nam et si actus liberalitatis posset exerceri ad inimicos et aliqui inimici reducantur ad amicitiam per actum liberalitatis ut dicitur Tamen quia contingit inimicos esse magis abund in bonis exterioribus circa que est liberalitas et sic non curarent recipere talia bona ab inimicis nec ad pacem reduci per ea etiam in multis casibus non esset honestum quod aliqui ciues acquirerent pacem cum suis inimicis per dationem pecuniarum sicut cum ipsi inimici interfecerunt iniuste multos de eis et [] et potentes uiros presertim quia sic dando bona exteriora propter pacem habendam ita quod alias non darentur non uidetur esse actus liberalitatis simpliciter quia actus uirtutis simpliciter et per se debet appeti propter se ita scilicet quod si uel inde deberet consequi adhuc appateretur ut habetur ex 2 Ethicorum Ad argumentum concedatur maior et minor negatur et tamen probatur quia auaritia etc Dico quod quamuis per auaritiam

homo subdatur minus bonis quam per timiditatem tamen cetera non sunt paria quia ex hoc quod homo in periculis belliciosis constitutus subditur bonis interioribus uolens ea conseruari fugiendo de bello sequitur maius malum quam ex eo quod subicitur bonis exterioribus conseruando ea et retinendo Ex prima enim subictione rationis consequitur destructio boni communis ut patet ad sensum Ex secunda uero non ita sequitur Unde si dux exercitus timore mortis et propter salutem sue uite relinquat arma et aliquando similiter sequitur uictoria inimicorum et destructio policie sed per auaritiam non sic consequitur immediate ut est manifestum intelligenti cuilibet, quare etc. Utrum autem homo magis teneatur diligere salutem boni communis quam uitam propriam et ipsam uitam propriam debeat exponere pro salute boni communis Immo et mortem subicere [] est sicut habet uideri in 2 Ethicorum Sic ergo remanet quod fortitudo est melior liberalitate iustitia tamen dicitur esse melior fortitudine immo omnibus aliis uirtutibus ut patet ex 5 Ethicorum, quare etc.

#JAND[1 41

QUONIAM AUTEM SIGNA Queritur hic breuiter utrum latronem suspendi iuste sit pulchrum et honestum Arguitur quod sic, quia quod procedit a iustitia est pulchrum et honestum cum iustitia sit preclarissima uirtutum /5 Ethicorum/ Sed latronem suspendi procedit a iustitia aliter non fieret iuste, quare etc. Oppositum arguitur auctoritate Aristotelis in littera ubi sic dicit IN SOLA ENIM HAC UIRTUTUM scilicet iustitia NON SEMPER QUOD IUSTE HONESTUM est QUIN POTIUS IN DAMPNIFICARI TURPE QUOD IUSTE MAGIS QUAM INIUSTE Uult igitur Philosophus quod turpius est dampnificari iuste quam inuste et cum latronem suspendi iuste sit ipsum dampnificari iuste uidetur quod latronem suspendi iuste sit turpe secundum Aristotelem

Dicendum breuiter quod talis actus potest comperari ad ipsum agens uel ad patiens Si comparetur ad agens sic est iustus et honestus quia procedet ab ipsa iustitia ut arguebatur Sicut enim iustum est premiare uel honorare bonos sic iustum est dampnificare malos et dehonore ut patet ex 5 Ethicorum Unde Seneca in suis Prouerbiis dicit sic QUI PECCANTEM NON CORRIGIT PECCARE IMPERAT Sed in habitudine ad patiens talis actus est turpis Nam omne quod est signum maleficii est turpe et inhonestum in quantum huiusmodi Sicut ex opposito quod est signum beneficii est [] Nunc autem aliquem dampnificare iuste siue dampnificetur in rebus siue in persona est signum malefacti ab eo Aliter non dampnificaretur iuste nisi pecasset ergo etc et in hoc differt iustitia ab aliis uirtutibus ut dicit Aristoteles in littera Nam passionis iuste ab ipsa iustitia procedentes sunt turpes ex parte recipientis ut dampnificari iuste est turpe quando dampnificato Sed passionis honeste procedentes ab aliis uirtutibus sunt pulchre etiam ex parte recipientis Uerbi gratia sicut dare liberaliter est pulchrum et honestum etiam ipsi recipienti Similiter autem et in aliis Ad argumentum patet solutio ex predictis Nam latronem suspendi iuste procedit a iustitia agentis AB EODEM ENIM AGENTE PROCEDIT ACTIO et PASSIO SICUT et MOTUS CUI HIC INSUNT /2 Phisicorum/ Sed non procedit a iustitia ipsius qui suspenditur, quare etc.

#JAND[1 42

et QUECUMQUE MORTUO Queritur utrum mortuo insint aliqua bona Arguitur quod non, quia non enti non insint aliqua bona Hec est manifesta quia bonitas est quoddam accidens et accidens non est nisi quia entis /7 Metaphisice/ ergo non enti non inest aliqua bonitas nec per consequens aliquod bonum Sed mortuus est non ens quia mors est quedam corruptio ut patet in libro De Morte et Uita ergo mortuum est corruptum sed corruptum est non ens cum corruptio sit transmutatio ad non esse /4 Phisicorum/, quare etc.

Oppositum uult Aristoteles ubi sic dicit "et quecumque mortuo contingit inesse magis quam uiuenti", quare etc.

Notandum quod quamuis mortuus non remaneat quantum ad esse reale in materia corporali ut bene probatum est Tamen bene esse remanet quantum ad esse spirituale in memoriis hominum Species enim

rerum sensibilibus possunt reseruari non uirtute fantastica uel imaginatiua et memoratiua ipsis rebus sensibilibus corruptis uel saltem species similis illis specibus Remanet etiam mortuus in suo simili reali extra animam sicut est imaginatio que constituitur ad reputationem ipsius et sicut est filius qui fuit generatus a tali patre uel etiam filia et hoc remanere non est aliud nisi esse talem imaginationem ipsum reputantem uel talem heredem ei similem et hoc manifestum est sic quod declaratione non eget Tunc dico secundum Aristotelem mortuo non insint aliqua bona secundum esse reale in materia corporali sensuali quia quantum ad talem esse corruptus est ut dicebatur Utrum autem remaneat mortuus quantum ad esse reale anime sue separate a materia diceret fides catholica et ueritas quod sic Sed Aristoteles non intellexit ut habet uideri in 3 De Anima

Secundo dicendum quod mortuo bene insint aliqua bona quantum ad esse spirituale quod remanet in memoria hominum Nam cum aliquis in uita sua fuit uirtuosus memoria eius est celebris et delectabilis et proficua aliis et hoc est bonum scilicet honestum et delectabile et proficuum Unde uidemus quod cum aliqui uolunt aliquos iuuenes inducere ad uirtutes reducuntur eis ad memoriam suos parentes qui fuerunt uirtuosi uel aliquos alios qui per uirtutes quas habuerunt fuerunt honorati et omnino felices Posset ergo sic sillogisari illa memoria est bona que est delectabilis proficua et honesta sed aliquorum mortuorum memorie sunt huiusmodi ut manifestum est per experientiam ergo manifestum est memorie aliquorum hominum mortuorum sint bone et sic mortuus quantum ad esse in memoria habet bona aliqua Similiter mortuus quantum ad esse in suo simili aliqua bona exhibentur ut honores et genuflectiones et inclinationes et annotationes caputiorum et adorationes uerbales et huiusmodi et hoc totum fit in legibus ut honores presentes inducantur ad bona uirtutum ratione quorum tales honoratores ipsis imaginibus impediuntur Est autem considerandum secundum Aristotelem in primo Ethicorum quod bone operationes pro nepotum et ueraliter amicorum remantium post mortem alicuius aliquo modo redundant in ipsos qui defecerunt in ipsos Dico quantum ad esse eorum in memoriis hominum Cum enim filii pro nepotes et ueraliter amici alicuius post eius mortem bene se habent memoria eius est celebrior et delectabilior cum autem male se habent econtra Uerum est tamen quod accidentia huiusmodi non faciunt de infelice felicem nec econtra simpliciter omnino Si enim aliquis fuerit optimus in uita sua et eius anima post mortem fit mali non propter hoc ponendum est ipsum esse infelicem nec econtra ut pulchre ibi docet Aristoteles Per hoc ad argumentum probat enim sufficienter quod mortuo non insint aliqua bona quantum ad esse reale in materia corporali Sed non quod non insint quantum ad esse in memoria hominum concludit

#JAND[1 43

et NATURA STUDIOCORUM etIAM Queritur utrum uirtutes uirorum sint meliores uirtutibus mulierum Arguitur quod non, quia uel hoc proueniret ex parte obiectorum uel ex parte subiectorum per sufficientem diuisionem Non ex parte obiectorum quia obiecta circa que sunt uirtutes mulierum sunt eadem cum obiectis circa que sunt uirtutes uirorum ut diuitie circa quas est liberalitas utriusque et honores et huius talia Nec ex parte subiectorum quia diuersitas materie non est causa diuersitas formarum ut accipit Commentator 2 De Anima Primo subiectum habet se in ratione materie respectu sui accidentis, quare etc. Preterea si ita esset sequeretur quod quilibet uir esset melior qualibet muliere quod uidetur absurdum probatio consequentie Nam si uirtutes uirorum essent meliores uirtutibus mulierum sequeretur quod optimus uir esset melior optima muliere Nam sicut "simpliciter ad simpliciter et maximum ad maximum" /2 Topicorum/ Ex hoc ulterius sequitur quod quilibet uir esset melior qualibet muliere per istam regulam "Cum optimum in aliquo genere" etc et confirmatur hec ultima consequentia per exemplum Aristotelis in littera ubi dicit sic "Si maximus uir est maior maxima muliere omnis homo esset maior omni muliere" Item, si uirtutes uirorum essent meliores uirtutibus mulierum ratio uirorum esset melior ratione mulierum quod est impossibile ut uidetur Nam anima rationalis cum sit absoluta et immaterialis secundum Aristoteles /2 De Anima/ non est melior in uno homine quam in alio nec in uiro quam in muliere precipue cum sit eiusdem speciei utrobique et patet consequentia quia uirtus moralis dependet a ratione ut patet ex 2

Ethicorum Quare si uirtus uiri esset melior uirtute mulieris ratio uiri esset melior ratione mulieris quod uidetur impossibile, quare etc

Oppositum dicit Aristoteles in littera

Notandum est quod licet anima rationalis in diuersis hominibus non diuersificetur per se ipsam et secundum suam subiectam secundum peius et melius ut patet ex principiis traditis in 3 De Anima tamen uirtutes sensitue que deseruiunt intellectum scilicet cogitativa memoratiua et imaginatiua bene diuersificantur secundum diuersas dispositiones organorum corporalium et spirituum recipientium species rerum que enim habent organum cogitatum uirtutis bene dispositum et in situ et in magnitudine et complexione et aliis huiusmodi et similiter habent sensus clariores et subtiliores et magis ad mediocritatem reductas Habent meliores uirtutes quam qui econtra In hoc autem quantum ad propositum spectat differunt uir et mulier quia mulier est frigidior et humidior humiditate aquatica quam uir et uir est calidior et siccior muliere ut dicunt medici et habetur in De Generatione Animalium et in De Problematibus Ex hoc quod mulieres sunt frigidiores ipsis uiris sequitur eas habere spiritus grossiores et impuriore quia calidi est subtiliare et depurare ut patet 4 Meteorum Ex hoc uero quod est humidior humiditate aquatica et flegmatica sequitur quod habet peiorem uirtutem memoratiuam et uniuersaliter uirtutem retentiuam peiorem et facilius et uehementius transmutabilem de una forma et comprehensione ad aliam ita quod uehementissime transmutantur de uno iudicio ad aliud ratione humidi abundantis et propter hoc dictum est in primo Politice quod consilium mulierum est inualidum Unde Seneca in De Remediis Fortuitorum dicit sic "omni quidem imperitorum animus maxime tamen in lubrico mulieris est" et parum post subdit "Nihil tam mobile quam mulierum uoluntas nihil tam uagum" Ex hiis sequitur quod tam in uiris quam in mulieribus anima rationalis dependeat in actibus suis ab actibus uirium sensituarum quod actus rationis non sunt perfectum in mulieribus sicut in uiris cum ratione grossiori et impuritatis spirituum que ex frigiditate procedit cum ratione male retentionis et nimie transmutabilitatis que procedit ex habundantia humiditatis Tunc possumus dicere ad questionem quod uirtutes uirorum sunt meliores mulierum quia illorum uirtutes sunt meliores qui magis uigent in actibus rationis sed uiri sunt huiusmodi, quare etc. Maior patet quia uirtus est habitus ellectiuus immediate consistens quo ad nos determinata ratione prout utique sapiens determinabit /2 Ethicorum/ et minor patet ex dictis nam ipsi uiri habent spiritus clariores et subtiliores et organa uirtutum deseruientium intellectui magis sicca ut melius et firmiter possint conseruare species rerum et resistere in iudicio boni et acquirere habitum meliorem quam mulieres modo preuiso, quare etc.

Ad primum argumentum dicendum quod hoc prouenit ex parte subiectorum aliquo modo Nam appetitus qui est subiectum uirtutis moralis non est ita bene dispositus ad recipiendum et retinendum uirtutem in mulieribus sicut in uiris Propter habundantiam humiditatis prouenit etiam hec diuersitas ex parte actus a quo dependet actus secundus uirtutis Iste autem actus rationis non est ita bonus in mulieribus sicut in uiris ut declaratum est

Ad aliud potest dici quod propositio ista scilicet "Cum optimum" etc intellegenda est in illis qui uere differunt secundum speciem propter causam superius assignatam Modo uir et mulier non differunt secundum speciem ut patet ex 10 Metaphisice Uel diceret aliquis quod intellegitur ubi optimum unius generis semper et necessario est melius optimo alterius generis sed si non est semper et necessario non est uerum Modo quamuis in pluribus optimus uir sit melior optima muliere Hoc tamen non est semper nec necessario ut uidetur quia Beata Maria ante natiuitatem Christi fuit melior omni uiro, quare etc.

Ad aliud concedendo consequentiam nam licet ratio secundum se sit immaterialis quia tamen actus eius dependet ex fantasmatis /3 De Anima/ et fantasmata unius sunt meliora fantasmatis alterius ut ostensum est actus rationis unius erit melior actu rationis alterius precipue respectu conclusionum particularium agibilibus particularium, quare etc.

UTRUM BONA QUE INEXISTUNT UNI SOLI SINT MELIORA

Arguitur quod non, quia bonum quanto communius tanto diuinius /primo Ethicorum/ Sed quod inest pluribus est communius quam quod uni soli, quare etc. Preterea quod est impossibile non est bonum Hoc est manifestum per se sed aliquid inesse uni soli homini est impossibile ut uult Commentator 12

Metaphisice ubi dicit quod non est fas bonitati diuine sic habere sollicitudinem circa unum indiuiduum ut det ei aliquam dispositionem quam non habeat aliquod aliorum et est in 6 commento, quare etc.

Item, si ista que soli inexistunt essent meliora tunc unus solus homo esset sciens ipse non deberet multiplicare suam scientiam ad generandum scientiam similem in alio quia sic faceret scientiam inesse pluribus et per consequens minus bonum quod est absurdum

Oppositum dicit Aristoteles et QUE SOLI INEXISTUNT MAGIS HONESTA FACILE ENIM MEMORABILIA, quare etc.

Notandum quod aliquid bonum magis honestum potest esse dupliciter quantum ad propositum Uno modo quantum ad extensionem durationis seu extensiuie Alio modo quantum ad intentionem perfectionis seu intensiuie Primo modo uerum est quod bonum inexistens uni soli uel procedens ab uno solo ceteris paribus est honestius Secundo modo non est necessarium uniuersaliter Primum probatur nam illud bonum honestum est honestius quantum ad extensionem durationis quod est memorabilius sed huiusmodi bonum quod inest soli uel quod est ab uno solo est memorabilius, quare etc. Maior est manifesta nam ista bona generabilia et corruptibilia nata sint conseruari et durare in memoriis hominum ut est per se manifestum per historias antiquorum gestorum et ideo illud bonum quod est memorabilius et durabilius ceteris paribus et minor apparet quia ista que sunt mirabiliora sunt magis memorabilia Cuius signum est quod aliqui pueri licet ex naturali complexione habeant malam memoriam tamen ualde diu memorantur aliqua que uiderunt in pueritia propter fortem adiunctionem ut tangit Commentator Auueroes in suo libro De Memoria et Reminiscentia quare patet quod ista que sunt mirabiliora sunt memorabilia magis Constat autem quod ista que soli insunt uel ab uno solo fiunt sunt mirabiliora, quare etc. et confirmatur minor per signum Uidemus enim quod cum aliqui uolunt se perpetuare in memoriis hominum uel diu facere sui memoriam ipsi nituntur facere aliqua noua que a nullis predecessoribus uel contemporaneis facta sciuntur, quare etc. Secundum declaratur scilicet quod bonum honestum quod soli inest non oportet uniuersaliter esse honestius intensiuie quam quod pluribus inest quia sic sequeretur quod esse regem esset honestius quam esse sapientem quia esse regem uni soli inest saltem in una policia et esse sapientem inest pluribus

Item, sequeretur quod si esset unus solus logicus et essent similes astrologi uel metaphisici logica esset honorabilior quam metaphisica uel astrologia quod est absurdum, quare etc. et forte intentio Aristotelis est que dicta sunt Quamuis enim diceret si aliquis homo solus esset ita robustus quod posset portare super humeros suos unum bouem sicut narratur de uni boue /2 Ethicorum/ quod illud robur inexistens uni soli esset honestius bonum intensiuie quam uirtus moralis aut intellectualis pluribus inexistens Ad primum argumentum potest dici quod licet bonum inexistens uni soli non sit communius quantum ad probationem est tamen communius quantum ad memoriam quia a pluribus memoratur et hoc sufficit ad propositum Ad aliud potest dici quod licet sollitudo diuina non dat uni indiuiduo unam dispositionem que non contingit alii indiuiduo uel simul uel post uel posterius sed bene potest contingere quod aliquod indiuiduum habeat in aliquo tempore aliquam dispositionem quam non habet aliquod aliud indiuiduum in illo tempore sicut putatur in tempore Aristotelis non fuisse simul aliquis ita perfectus Philosophus ut fuit Aristoteles licet post eius tempus fuit aliquis ita perfectus ut forte Auerroes uel frater Thomas secundum predicatores uel aliquis aliorum

Ad aliud patet ex dictis Probat enim quod bonum inexistens uni soli est melius uniuersaliter et hoc secundum intentionem perfectionis sed non probat quando sit melius quantum ad extentionem durationis in memoriis hominum ita scilicet quod diutius memoratur talem infuisse seu inexistisse tali homini Unde non intellegendo bonum quod inest soli uni esse durabilius secundum existentiam realem extra memoriam hominum qua contrarium uidemus sicut patet in multis sicut patet in illis Soli habuerunt aliquam ualde

excellentem uirtutem anime uel corporis Illa enim uirtus non continuatur inesse reali sed in memoria hominum et hoc forte significauit Aristoteles in littera cum dicit MEMORABILIA ENIM Nec intellego similiter quando bonum inexistens uni soli possit etiam esse honestius intensiue quam quod multis inest sicut esse regem quam esse scutiferem uel militem et []

#JAND[1 45

SUMENDUM AUTEM Potest hic bene queri utrum ad laudandum liceat accipere illa que sunt propinqua uirtutibus loco uirtutum ut quod hominem bone frigiditatis uocemus pudicum et alium qui dolenda non sentit mansuetutum et elatum magnanimum et reuerendum et huius

Arguitur quod non, quia ad laudandum aliquem non licet committere mendacium eo quod MENDACIUM EST PER SE PRAUUM et FUGIENDUM /4 Ethicorum/ Sed hoc contingeret modo predicto laudando ut manifestum, quare etc.

Item, ad laudandum non licet ei attribuere nisi uirtutes eo quod LAUS EST SERMO ELUCIDANS MAGNITUDINEM UIRTUTUM ut dicitur hic Modo talia propinqua uirtutibus non sunt uirtutes ut patet inducendo in predictis, quare etc.

Item, ad uituperandum aliquem non licet accipere uirtutes loco uitiorum Ergo econtrario ad laudandum aliquem uel aliqua non licet accipere uitia loco uirtutum Antecedens est manifestum cum enim magna malitia si aliquis uolens increpare hominem esse liberalem diceret ipsum prodigum uel auarum Similiter autem et in aliis et consequentia patet per locum a contrario quia increpare et laudare sint contraria Uirtus etiam et uitia sint contraria Unde si aliquis laudaretur pro uitiiis posset etiam quis pro uirtutibus increpari quod est malum

Oppositum docet Aristoteles in littera

Notandum est hic quod est multum difficile aliquem hominem simpliciter et perfecte uirtuosum esse secundum unam uirtutem Cum enim habens unam uirtutem simpliciter et perfecte habeat omnes secundum Aristotelem in 6 Ethicorum PRUDENTIA ENIM UNI INEXISTENDO INERUNT Difficile est enim omnes uirtutes inesse uni homini ut manifestum est Sequitur quod bene est difficile hominem aliquem esse simpliciter uirtuosum et forte hoc uoluit significare Seneca in 4 Epistula ubi dicit sic quod FORTE UIR BONUS SICUT SENEX [] IN QUINGENTESSIMO ANNO NASCITUR Unde si solum liceret aliquem laudari propter uirtutem perfectam ei inexistente raro liceret laudari quod non est dicendum quia LAUDATIONES FREQUENTER INDUCUNTUR HOMINES AD BONUM et HOC DEBET ESSE INTENTIO LEGISLATORIS /4 Ethicorum/ Relinquitur ergo quod interdum licet hominem laudari propter ea que uirtutibus sunt propinqua ut Aristoteles exemplificat in littera Ex hiis potest responderi ad conclusionem quod secundum bonos idest secundum bonos mores licitum est hominem laudari loco et tempore non solum de uirtutibus sed de propinquis/?/ uirtuti asserendo uirtutes illi inesse cui propinqua uirtutibus inexistunt precipue si sit multum propinqua eo quod ILLA QUE SUNT PROPINQUA INTELLECTUS ACCIPIT PRO EISDEM /2 Phisicorum/ et potest sic probari nam ad laudandum aliquem aut necesse est semper de ipso enuntiare et supponere uirtutes inexistentes ei aut licitum est ut sufficit ei inexistere propinqua uirtutibus per sufficientem diuisionem Sed non est dicendum quod semper requirantur uirtutes perfectas inexistere illi qui laudari debet quia sic minimus/?/ raro licent laudari et sic raro inducerentur/?/ homines ad uirtutem per laudationem homini/?/ quod non est concedum Ex hoc autem patet excusatio magistrorum in artibus sub quibus incipiunt aliqui iuuenes non omnibus uirtutibus decorari et tamen ipsi magistri laudant eos de uirtutibus in presentia scolarium et aliorum assistentium Similiter autem et in aliis similibus Ad primum argumentum potest dici sicut dicitur super 4 Ethicorum quod mendacium est triplex scilicet mendacium iocosum quod sit loco ludi et nulli nocet et mendacium officiosum quod sit ad utilitatem alterius et nulli nocet nisi dicenti et mendacium perciosum quod est in nocumentum alterius et de isto ultimo uerum est quod accipitur sed non de mendacio iocoso uel officioso [] tale mendacium permittitur propter bonum quod inde consequitur

Ad aliud Neganda est maior et cum dicitur quod LAUS EST SERMO ELUCIDANS MAGNITUDINEM UIRTUTIS uerum est uel inexistens ei qui laudatur uel alteri sed non oportet quod insit illi qui laudatur secundum actum

Ad aliud Potest negari consequentia quia laudatio principalis intenditur a rhetorico et politico quam uituperatio quia per laudationem magis per se et directe inducuntur homines ad bonum quam per uituperationem presertim quia multum est odiosum hominibus publice uituperare nisi superhabundantia malitiae suae sit nota et ideo non est sic licitum ad uituperationem accipere uirtutes pro uititiis sicut econuerso precipue quia sic satis possent inueniri homines alii quam uirtuosi ad hoc ut uituperandum quia NON PRONUM FUIMUS AD UITIUM SED PECIPITES ut dicit Seneca /4 Epistularum Epistula 8 / et tamen arguitur per locum ab oppositis dico breuiter quod ille locus [] in partis essentialibus modo quod aliquis laudetur accipiendo propinqua uirtutibus loco uirtutum Hoc est per accidens propter difficultatem et raritatem uirtuosorum perfecte

#JAND[1 46

SUMMUM ERGO CONFIDENTIA Potest hic queri utrum diffinitio delectationis quam ponit Philosophus in littera sit bona

Arguitur quod non, quia nullus motus est totus simul /4 Physicorum/ Sed delectatio est quidam motus ut dicitur in diffinitione ergo non est totus simul Tamen oppositum subditur in eadem diffinitione ubi dicitur quod est "constitutio tota simul", quare etc. Preterea diffinitio debet conuenire soli diffinito /sexto Topicorum/ sed ista non competunt soli delectationi quia omnia que ponuntur in ea conueniunt ipsi sentire Est enim motus quidam anime et constitutio tota simul sentiens inexistente natura et tamen sentire non est delectatio cum delectatio sit actus appetitus ut patet 2 et 3 De Anima Sentire uero est actus sensus, quare etc.

Item, diffinitio debet competere omni contento sub diffinitio 6 Topicorum sed ista diffinitio non competit omni delectationi Nam quedam est delectatio intellectualis ut patet 7 et 10 Ethicorum et ista non est constitutio sensibilis, quare etc.

Oppositum uult Aristoteles in littera

Notandum est hic quod Aristoteles intendit hic solum de delectatione sensuali Cuius ratio est quia ipse intendit de delectatione propter quam homo mouetur ad faciendum alteri iniuriam ut manifestum est in processu habere Sed talis est delectatio secundum sensum ut patet nam propter delectationem intellectualem per se non contingit homines sibi inuicem iniurari nisi forte ualde raro prout aliquis qui multum delectatur in opinione sua dicit iniuriam alteri qui uult opinionem suam reprobare Frequentius autem contingit homines sibi inuicem iniurari uerbis aut factis propter delectationes sensuales ut manifestum est unicuique et forte propter delectationem intellectualem concomitatur delectatio sensuali Verbi gratia Si quis habet aliquam opinionem et in ea delectatur intellectualiter non iniuratur alteri contradicenti illi opinioni nisi pro quanto per eius opinionis suae destructionem remonetur ei lucrum uel honor aliquis in quibus sensibiliter delectatur Unde si ille qui contradicit opinioni alicuius lateret omnino ita quod nec reciperet lucrum aliquod nec illam contradictionem probaret forte aliquis alius numquam iniuriaretur ei quia non minus lucraretur nec minus honoraretur propter istam contradictionem latentem Ulterius notandum quod diffinitio delectationis quam ponit Aristoteles hic est ista delectatio est "motus quendam anime et constitutio sensibiliter tota simul in existentem naturam" Quam diffinitionem saluo meliori intellectu puto sic esse intellegenda delectatio est motus /idest "actus quendam anime"/ et "constitutio" /idest operatio sensuali idest a sensibus supple facta/ per quam operationem anima constituitur "in existentem naturam" /idest in perfectionem conuenientem nature/ Est itaque delectatio quidam actus anime et operatio facta a sensibili tota simul per quam operationem aliquis constituitur in perfectionem conuenientem nature Ad cuius pleniorum intellectum considerandum quod de numero operationum Quedam sunt successiue ut calefactio et frige factio et iste non sunt tote simul ita quod in

primo instanti in quo incipiunt sit tantum et equaliter de perfectione in subiecto sicut in fine non enim est eque perfecte calidum subiectum cum primo incipit calefieri sicut cum iam diu calefactum est Similiter autem et in de infrigidatione et aliis multis operationibus successiuis Alii uero sunt operationes instantanee et iste dicuntur esse tote simul ita scilicet quod in primo instanti quo incipiunt esse in subiecto est equalis perfectio sicut in fine temporis in quo durant et continuantur Uerbi gratia illuminatio medii diaphani a corpore illuminoso sic est tota simul quod in primo instanti in quo corpus illuminosum illuminat diaphanum est ita perfecta lux in diaphanis sicut in fine ut manifestum est per se Similiter in primo instanti quo color est appropinquatus uisui aut speculo est eque perfecta species coloris in oculo uel speculo in animato sicut si sit ibi per totam diem Proportionabiliter autem est de ipsa delectatione nam in primo instanti in quo aliquis incipit delectari habet totam substantiam delectationis eque perfectam sicut si delectetur per unam totam diem uel saltem hoc non repugnat delectationi unde delectatio est sicut patet in delectatione que est in uidendo aliquid pulchrum uisibile et aliis huiusmodi Non tamen uidetur esse impossibile si quis primo cognoscit aliquod bonum diminute et imperfecte et postea cognoscat ipsum magis complete et perfecte quin etiam prius delectetur imperfecte et postea magis perfecte Sed forte non erit eadem delectatio in numero posterior cum priori sed diuerse quarum quelibet erit tota simul Econtrario uero est de calefactione que est unus motus numero in priori parte temporis et in sequenti ut habet uideri in [] Phisicorum Notandum est etiam ulterius quod ista predicatio non est formalis et essentialis delectatio est operatio sensualis immo est predicatio materialis et comuniter dicitur ipsamet delectatio est quedam perfectio operationis sensitiue Consequens et decorans eam sicut pulchritudo iuentutem ut habet uideri in 7 et 10 Ethicorum Tunc dico breuiter quod diffinitio delectationis sic intellecta est competens quia manifestat essentiam delectationis eam distinguit a quocumque alio Cum enim sit operatio materialiter differt ab ipsa operatione et hoc forte uoluit significare per hoc quod dicit "constitutio" et notandum quod ibi debet accipi natura pro quocumque habitu inclinante determinato ad unum sine sit acquisitus ut uirtus moralis siue innatus ut uirtus naturalis anime Non solum enim homo delectatur in operationibus que conueniunt potentiis naturalibus anime ut est uidere tangere gustare etc Sed in operationibus que conueniunt habitibus acquisitis uirtutum moralium ut liberalis delectatur in eligendo dationem modificatam et maganimus in eligendo magna et ardua opera quibus debetur magnus honor Similiter autem et in aliis ut patet ex 2 Ethicorum et propter hoc etiam in 7 Ethicorum diffinitur delectatio quod est operatio generalis modo predicto idest habitus inclinatus determinate ad unum et hoc est plane intentio Aristotelis in littera in secunda et tertia propositione quam ponit Ad primum argumentum patet ex dictis Nam licet motus continuus non sit totus simul cum motus qui est actus perfecti non tendentis ad ulterius complementum est bene totus simul et sic intellegitur

Ad aliud dicendum quod ipsa sensatio uel sentire est essentialiter operatio facta a sensuali Sed delectatio non est essentialiter et formaliter huiusmodi operatio sed materialiter secundum communem doctrinam Ad aliud patet ex dictis nam Aristoteles non intellegit hoc nisi de delectatione secundum sensum propter causam predictam et ideo diffinitio quam assignat non debet conuenire delectationi intellectuali Qualiter autem differt delectatio intellectualis a sensuali queras in 7 et 10 Ethicorum Causa breuitatis pretermitto

#JAND[1 47

et ADDISCERE et MIRARI Queratur utrum addiscere et admirari sint delectabile

Arguitur quod non, quia illud quod est semper cum ignorantia minus est delectabile cum ignorantia sit quoddam malum ut patet in 2 et 6 Ethicorum malum autem presens contristat sicut bonum delectat ut manifestum est Sed addiscere semper est cum ignorantia Si enim quis omnino cognosceret aliquam conclusionem non amplius addiceret illam Similiter admirari semper est cum ignorantia secundum Aristotelem in prohemia Metaphisice "qui dubitat et ignorat ignorare uidetur", quare etc. Preterea cum est cum sollicitudine conatu et studio uidetur esse triste nam omnia ista sunt tristitia secundum Aristotelem in quadam propositione precedente Sed addiscere et admirari semper est cum sollicitudine studio et conatu

ut patet per experientiam Non enim aliquis addiceret illud quod prius ignorabat nisi uehementer et assidue et cum magna uoluntate ad animam applicaret quod est studere secundum Tullium in utraque Rhetorica "Studium est cum assidua et uehemens ad aliquam rem applicata magna cum uoluntate occupatio" Similiter uidemus sensibiliter quod illi qui addiscunt sollicitantur ut cognantur et proueniant ad scientiam in tantum quod propter consumptionem spirituum et caloris naturalis multum debilitantur etiam admiratio uidetur esse cum istis condicionibus Nam cum aliquis multum admiratur de quodam effectu ipse studet et sollicitatur et cognatur ut ueniat ad conclusionem cause, quare etc.

Item, si addiscere esset delectabile aut esset delectabile delectatione sensuali aut intellectuali per sufficientem diuisionem que habetur 7 et 10 Ethicorum non intellectuali quia sic Aristoteles de hoc non deberet facere mentionem cum ipse intendat hic de delectatione secundum sensum ut dicebatur in principio capituli, quare etc. Nec delectatione sensuali quia appetitus sensituius non delectatur in aliquo bono nisi illud sit notum per sensum Modo ipsum addiscere cum sit quedam operatio intellectus et materialis non cognoscitur ab aliquo sensu ut manifestum est, quare etc.

Oppositum arguitur auctoritate Aristotelis hic

Notandum est hic quod addiscere uno modo dicit actione doctoris in discipulum Alio modo dicit transmutationem discipuli ad scientiam et de primo diceret aliquis Aristotelem intellegere non de secundo Sed non uidetur mihi secundum intentionem Aristotelis quod cum Aristoteles coniungat immediate ipsum addiscere admirari et de illo addiscere uidetur intellegere quod est cum admirari Sed hoc est addiscere discipuli non doctoris doctor enim qui iam habet scientiam multiplicat eam in discipulo non amplius admiraretur ut patet in prohemio Metaphisice

Item, Aristoteles dicit ibi statim post illam propositionem quod "addiscere in id quod secundum naturam constituitur" et hoc uidetur pertinere ad discipulum scilicet constitui in id quod secundum naturam idest in perfectionem naturaliter desideratam uel nature conuenientem non autem ad doctorem iam constitutus in huiusmodi perfectione, quare etc. Propter quod potest dicere quod ipsum addiscere quantum est ad se est delectabile quod probatur ratione Aristotelis Nam delectatio est "constitutio in existentem naturam" ut dicebatur prius Illud ergo est delectabile propter quod homo constituitur in id quod secundum naturam idest in perfectionem conuenientem nature Sed addiscere est huiusmodi nam per ipsum constituitur homo in scientiam que est perfectio conueniens nature humane et naturaliter desiderata secundum Aristotelem in prohemio Metaphisice "Omnes homines naturaliter scire desiderant", quare etc.

Secundo dicendum est quod admirari est delectabile Nam in admirari est concupiscere addiscere sed concupiscentia ipsius addiscere est delectabile cum addiscere sit delectabile ut probatum est Concupiscentia autem rei delectabilis est aliquo modo delectabilis precipue propter spem/??/ que habetur de acquirendo illud delectabile, quare etc. et hanc rationem tangit Aristoteles in littera ponens maiorem propositionem quam sic intellegendo Cum enim aliquis effectus est manifestus sensui et causa illius est occulta tunc intellectus uel cogitativa uirtus iudicat bonum esse cognoscere illam causam et tunc appetitus inclinatur ad acquisitionem illius cause et sic patet qualiter admirari est concupiscere addiscere uel desiderare addiscere quia adhuc aliud requiretur scilicet cognitio efficiens et ignorantia cause si sit proprie admirari ut satis patet ex prohemio Metaphisice Sed est intellegendum quod addiscens dum addiscit potest considerare motum suum quo tendit ad scientiam et ipsam scientiam quam sperat acquirere et sic delectatur et potest etiam considerare defectum suum et ignorantiam ad cuius expulsionem addiscit et sic potest aliquo modo contristari et propter hoc Aristoteles non dicit *** quod addiscere sit delectabile sed subdit uel ad multum idest frequenter et forte hoc pro tanto dicit quia multas sunt artes quas addiscendo homo multum laborat corporaliter fabricatiua et domificatiua et alia multa "Omnis autem labor est tristis" ut dicit Philosophus in 2 Ethicorum capitulo De fortitudine Sed etiam quamuis in addiscendo tales artes sit tristitia propter laborem tamen inest delectatio propter spem boni futuri et forte ista delectatio est maior quam ipsa tristitia eo modo quo talia ad inuicem possunt comparari quia si tristitia esset maior quam delectatio dimitteretur iste labor inducens tristitiam et hoc fortasset dedit intellegere Aristoteles per hoc

quod dicit "ut ad multum" Similiter potest dici de admiratione Nam cum aliquis admiratur ipse potest reflectere considerationem suam super cognitionem quam habet de effectu et quam sperat habere de causa et sic delectatur Uel potest considerare defectum suum uel ignorantiam et etiam laborem requisitum ad habendum illam notitiam et sic non est remotum quando tristetur aliquid Ex hiis ad primas duas rationes Bene enim probat quod ipsum addiscere et admirari non est sic delectabile quando possit concomitari aliqua tristitia per accidens ratione alicuius coniuncti hoc tamen non obstante ambo ista nata sunt delectari modo predicto Sic etiam bibere bonum uinum est delectabile cum istam delectationem concomitatur tristitia aliqua ratione sitis quia numquam biberet aliquis delectabiliter nisi sitiret aliquo modo Ad tertium potest dici quod ista sunt delectabilia delectatione intellectuali et cum dicitur quod tunc Aristoteles non deberet loqui de istis dico quod licet Aristoteles principaliter et in maiori parte consideret delectabilia delectatione sensuali tamen secundario et in aliqua particula potest interferere aliquid de delectatione intellectuali Uel dicatur quod licet prout addiscere dicit discursum in rebus uniuersaliter apprehens non percipiatur a sensu eo quod est operatio abstracta cum addiscere quod est ratiocinari de rebus particulariter apprehensis et est actus uirtutis cogitatiue que est quedam ratio particularis ut dicit Commentator in 2 De Anima Bene est operatio sensibilis aliquo modo non quidem sensu exteriori et particulari sed sensu interiori scilicet ipsa uirtute cogitatiua que potest aliquid cognoscere suum actum et sic potest huiusmodi actus cognoscens delectationem facere in appetitu sensitio Utrum autem hoc sit uerum quod uirtus cogitatiua possit cognoscere suum actum immanentem bene est dubium et difficile Sed discutiendum est in 2 De Anima et non hic

#JAND[1 48

CONSEQUENTER QUERITUR utrum unum consimilium delectet alterum

Arguitur quod non, quia unus superbus non delectet alterum immo contristat ut manifestum est ad sensum et tamen isti sint similes Similiter unus iracundus non delectat alterum ut manifestum est, quare etc.

Item, unus medicus non delectat alterum nec unus edificator alterum immo sibi inuicem inuident ut patet ad sensum, quare etc.

Item, si aliquis est supercalefaciens calor superueniens non delectat ipsum immo contristat et tamen est ei similis, quare etc.

Item, unum contrariorum delectat alterum ergo unum similium non delectat alterum Antecedens patet quia si aliquis est supercalefactus frigiditate ei appropinquata delectat ipsum et econuerso et consequentia patet quia contraria sunt nata facere contraria ut patet ex 10 Meteorum, quare etc.

Item, si unum similium delectaret alterum ergo magis simile magis delectaret quia sicut "simpliciter ad simpliciter et magis ad magis" /2 Topicorum/ et per consequens est falsum quia duo uiri sunt sibi inuicem magis similes quam uir et mulier et tamen unus uir non magis delectat cum alio quam cum muliere saltem delectatione sensitua immo est maxima delectatio in coitu masculi cum femella ut dicit Auerroes in suo tractatu De Medicina quem [] colliget et habetur in De Generatione Animalium

Item, illud quod delectat aliquem agit in ipsum nam delectari uel est sentire uel consequens sensationem Sensibile autem agit in sensum /2 De Anima/ Sed unum similium non agit in alterum /primo De Generatione/, quare etc.

Oppositum uult Aristoteles in littera ut patet in inductione puta homo est delectabilis homini eques equo asinus asino et sic de aliis

Notandum quod "similitudo est rerum differentium eadem qualitas" secundum Boethium in Topicis suis et intelligitur eadem identitate secundum speciem Non enim requiretur identitas numeralis quia sic idem modo esset simile ipsi et referretur ad se ipsum relatione reali quod est absurdum ut habet uideri in 5 Metaphisice Nec uidetur sufficere identitas secundum genus quia sic possemus dicere quod album et nigrum sunt similia quia habent qualitatem eandem genere albetudo enim et nigredo sint eiusdem generis scilicet coloris quod est absurdum nisi forte similitudine remota et diminuta quare relinquatur ad

similitudinem propriam et perfectam requiri identitem qualitatis secundum speciem Tunc potest dici ad questionem quod unum simile in hiis que nata sunt habere delectationem per se natum est delectare reliquum et hoc non multum indiget probatione quia manifestum est ad sensum et per inductionem sicut indicat/iudicat Aristoteles in littera Contingit autem per accidens quod unum similiium non delectat reliquum ratione alicuius oppositionis accidentatilter coincidentis et per hoc ad primum argumentum Si enim superbus non delectat superbum immo contristat pro tanto quia unus superbus uult alterum ei subiectum esse et alius non uult ei esse subiectus et hoc econtra et hoc causat displicentiam inter illos Sed hoc accidit superbie quia unus superbus ita bene uult sibi esse subiectum illum qui non est superbus sicut qui est superbus quare non ualet Uel possumus dicere quod superbus in quantum ad habitum interiorem delectat superbum sed /ad/ quantum ad actum exteriorem in quo non assimilantur non delectat unum cum unus superbus considerat superbiam alterius cognoscens ipsum esse ei similem in hoc quod inclinatur ad supeditandum alios inuiste stando in hac consideratione diligit eum et reputat eum bonum aliquo modo Sed in considerando ad aliquod in quo contrariatur ei ualet quia non uult superbia ei et eum uult ille subici in hoc non amat eum nec delectatur in ipso Unde sic imaginor quod si essent duo superbi in duabus regionibus ualde distantibus quorum unus uellet sibi subici omnes homines illius regionis et non alios et alius uellet sibi subici omnes homines sue regionis et non alios sine dubio isti duo diligerent se cum unus cognosceret alterum propter istam similitudinem quam haberent ad inuicem Si ergo unus superbus non amat alterum hoc est pro tanto quia unus istorum uult alterum sibi subici et econtra et hoc accidit superbie quia potest aliquis esse superbus qui non uult alterum superbum sibi subici sicut dictum est Ad aliud potest dici quod unus medicus odiat alterum hoc est per accidens in quantum unus diminuit bonum alterius et econtra et similiter de edificatore Unde si essent duo medici quorum unus non curaret practicare pro lucro et alius practicaret Uel quod ambo amplius non curarent sine dubio unus amaret alterum et delectaretur in ipso plus quam in alio ceteris paribus Ad aliud dico quod si aliquem supercalefactum non delectat alius calor superadditus hoc non est ex parte caloris immo ratione alicuius contraritatis ipsius caloris superadditi ad qualitatem seu complexionem naturalem illius supercalefacti Maior enim calor seu fortior habet aliquam contraritatem ad minorem calorem precipue si sit notabilis distantia inter eos et propter hoc maior flamma corrumpit minorem ut habetur in De Morte et Uita et in Probleumatibus in multis locis Unde quamuis homo uel aliud animal habeat de sua complexione calorem naturalem si tamen appropinqueret fortiori calori dissoluenti proportionem caloris naturalis ad habendum radicale poterit inde contingere dolor seu tristitia non ratione similitudinis sed ratione contraritatis Ad aliud potest negari consequentia et ad probationem dicendum quod duo contraria bene possunt causare unum effectum diuersimodi scilicet unum per se et alium per accidens secundum Aristotelem in 6 Phisicorum frigidum enim calefacit conuersum Quamuis igitur similitudo et contrarium sint contraria quoquomodo tamen utrumque poterit delectare Nam simile delectabit per se si nihil prohibeat contrarium uero per accidens Uerbi gratia in exemplo quod ponebatur cum aliquis est supercalefaciens frigidum ei appropinquatum delectat ipsum sed hoc est per accidens in quantum remittit excessum caloris ipsum contristantem Uel dicatur quod si contrarium alicui delectat ipsum sicut frigidum delectat calidum ut in exemplo supraposito non est delectatio eiusdem speciei cum delectatione alterius contrarium Ad aliud concedo consequentiam si cetera sunt paria sed si cetera non sunt paria non oportet Modo in proposito cetera non sunt paria quamuis enim duo masculi sint similes in complexione magis quam masculus et femella tamen cetera non sunt paria quia enim duo masculi non habent membra corporis requisita ad generationem generatiuam sed masculus et femella sic habent Item, duo masculi non ordinantur naturaliter ad hoc ut unus generet in alio sicut masculus et femella Unde cum propter generationem natura posuit tantam delectationem in coitu Sequitur quod maior est delectatio masculi ad femella quam duorum masculorum regulariter et ut in pluribus Propter quam autem causam

aliqui masculi desiderant coire cum masculis et in hoc delectantur ut sodomite inquirendum est in Problematibus in particula 4

Ad aliud diceret aliquis Illud quod delectat aliquem agit in ipsum Unde est actione spirituali et perfectiua sed non actione corporali et corruptiua et sic unum similiu potest agere in alterum Sed istud est bene dubium quia Aristoteles dicit in 2 De Anima quod similiter calidum et similiter frigidum non sentimus itaque si aliquod calidum esset calidum in eodem gradu in quo nos sumus calidi et frigidi similiter nos non sentiemus ipsum et Commentator dicit in eodem 2 De Anima quod si er et aqua essent simplicia ea simplicitate que debetur eis secundum quid loca alia que continentur in ipsis non sentirent qualiter eorum propter similitudinem et defectum contrariorum et sic uidetur quod simile alicui in forma et in gradu non agit in ipsum et per consequens non delectat ipsum quia delectans delectatione sensitua et sensuale et omne sensuale agit in ipsum sensum

et forte dicendum quod huius simile licet non ageret in sensum exteriorem et particularem et intactum tamen agit in sensum interiorem scilicet in cogitativam uirtutem que est quedam uis anime sensitue ut patet a Commentatore 3 De Anima et ista bene cognoscit formas aliquas que non sentiuntur ab aliquo sensuum particularium Quamuis ergo per tactum meum ego non cognoscam caliditatem eris que similis est in gradu caliditati mee tamen bene possum cogitare huiusmodi qualitatem eliciendo speciem eius ex alia qualitate sensata utpote quia aliquando sensi caliditatem eris intensam uel frigiditatem Sed si medium in quo uiuit aliud animal esset semper ei simile secundum caliditatem in gradu et forma forte numquam cognosceret istam caliditatem excepto homine qui per ratiocinationem cognosceret huiusmodi qualitatem inesse illi medio scilicet quia sciret illud medium esse corpus generabile et corruptibile quod non esset nisi haberet qualitates tangibiles uel aliqua huiusmodi ratione et forte distinguendum est de simili quia quoddam est simile in forma et in gradu et tale non delectat quia non sentitur sensu particulari Aliud est simile in forma et non in gradu et tale delectat consimiliam

#JAND[1 49

ADHUC AUTEM QUI AMATORES HONORIS Utrum increpare et subicere sibi uicinos sit delectabile Arguitur quod non, quia quod est odiosum non est delectabile Nam sicut amicitia est quid delectabile /6 Phisicorum/ sic per oppositum odium est quid tristatium ergo illud quod est odiosum non est delectabile Sed increpare uicinos est odiosum Homines enim communiter odiunt illos qui eos increpant sicut amant illos qui eos laudant Similiter subicere uicinos est odiosum quia homines naturaliter diligunt libertatem ut patet primo Politice, quare etc.

Item, adulare est delectabile secundum Aristotelem in littera ergo increpare est contristabile quia sicut "oppositum in opposito", quare etc.

Oppositum dicit Aristoteles in littera

Notandum est quod increpatio potest haberi ab eustratio sic super primum Ethicorum Est dura obiurgatio uel poena errans/?/ illum qui preter rationem ad aliud inclinatur Subicere autem sibi aliquem est facere quod iste obediat preceptis ipsius subicientis faciendo que precipit et omittendo que prohibet ut satis patet ex primo Politice Tunc dico quod increpare uicinos et sibi eos subicere est delectabile ipsi increpanti et subiecti quod sic patet illud est delectabile per quod acquiretur honor Hec est manifesta quia honor cum sit maximum honorum exteriorum maxime delectat sed increpare uicinos et eos sibi subicere ipse increpans et subiciens acquirit honorem uel in re uel in spe ut satis manifestum est Solent enim homines honorare illos qui eos de suis malificiis rationabiliter increpant et dico rationabiliter quia ut dicebatur prius "iustum est honorare illos qui beneficia prestiterunt" Constat autem quod magnum beneficium est aliquem de suis malefactis rationabiliter increpare quia per hoc rationabiliter increpare quia per hoc reducitur ad uirtutem precipue si ipsi qui increpantur sunt bene dispositi et idonei ad uirtutem recipiendam Si uero illi qui increpantur sunt peruersi non honorant ipsos increpantes seu reprehendentes immo eis disciplicent Sed

tamen adhuc illud est delectabile increpanti quia dicit Seneca in Prouerbiis et in De Remediis Fortuitorum quod "malis displicere laudari est" et alibi dicit "letior esto cognoscens displicere malis"

Ad primum argumentum dicendum quod esse odiosum bonis et dispositis est triste et hoc non accidit rationabiliter increpanti Sed esse odiosum malis et peruersis non est contristatum homini uirtuoso ut dictum est Tales autem debet homo uirtuosus increpare et sibi subicere bonos uero non debet nisi qui multum euidenter excellit eos

Ad aliud potest dici quod adulari aliquem non est delectabile nisi per accidens scilicet in quantum per adulationem ipse adulator acquirit uel sperat acquirere aliquam utilitatem ab illo cui adulatur et forte adulari magis est contristatum ipsius adulantis quam delectatum eo quod ipse cognoscit se dicere mendacium et per consequens malefacere se iudicat saltem cito postquam adulatus est et ideo ei non est delectabile increpare Sed ueridico non est delectabile adulari immo tristale et non est inconueniens unum et idem esse delectabile et contristatum respectu diuersorum seu diuersionem dispositorum uel habituum

#JAND[1 50

INIUSTITIE AUTEM MAIORES Utrum illa iniustitia sit maior quam aliquis facit solus

Arguitur quod non, quia illa iniuria est maior ad quam sequitur maius nocumentum Hec est manifesta de se Sed ad illam quam faciunt plures sequitur maius nocumentum ut euidentis est Plures enim iniuriantes plus nocent quam unus solus, quare etc.

Item, illa iniuria est peior que plures reddit malos Sed iniuria quam faciunt plures est huiusmodi igitur etc

Item, quanto bonum est communius tanto est melius /primo Ethicorum/ Ergo per oppositum malum quanto est communius tanto est peius quia sicut "oppositum ad opposito" etc

Item, iustitia quam faciunt plures est melior ea quam facit unus solus Aliter enim non esset melius omnes iudices esse iustos quam unum solum quod est absurdum Ergo per oppositum iniuria quam faciunt plures est peior quam illa quam facit unus solus, quare etc.

Oppositum dicit Aristoteles in littera

Dicendum breuiter quod iniuria quam unus solus homo facit est peior ceteris paribus quam illa quam faciunt multi Uerbi gratia ponamus quod aliquis percusserit seruulum unius hominis solius et ille solus homo uolens uindicare illam percussorem abscindit percussori bracchium Deinde ponamus quod aliquis percusserit seruum alterius multitudinis ut 10 uel 20 homini et illi 10 homines conueniunt in abscindendo bracchium illius percussoris non est tanta iniuria quam faciunt isti directe sicut illa quam fecit unus solus homo Uel sic ponamus quod aliqui ciues diuersarum ciuitatum sint erga inuicem inimici quod unus ciuis unius ciuitatis obuiat alteri ciui alterius ciuitatis et ipse uiolente ducat eum ad carcerem et deinde contingat quod 10 ciues unius ciuitatis obuiant uni ciui alterius ciuitatis et ipsum capiant et ducant ad carcerem Maior erat iniuria quam fecerat primus solus quam ea quam fecerant illi 10 Similiter autem et in aliis huiusmodi Quod sic potest ostendi illa iniuria que procedet ex maiori et intensiori electione et habitu uidetur esse maior nam IN ELECTIONE EST NEQUITIA secundum Aristotelem in littera Sed iniuria quam fecit unus solus uidetur procedere ex intensiori desiderio et electione et habitu quam illa quam faciunt plures Maius enim desiderium et intensior electio requiritur ad hoc quod iste solus committat talem iniuriam quam in uno quoquoque illorum plurimum ad hoc quod faciunt illam iniuriam Sicut si unus solus homo deberet trahere nauem quam quicumque alii possunt trahere Maior uirtus corporalis requiritur in uno solo quam uirtus uniusquisque illorum quicumque ita quod in unoquoque eorum seorsum sufficeret uirtus [] quam esset uirtus illius unius trahentis nauem Similiter ad hoc quod plures homines faciant aliquam iniuriam alicui non requiritur in uno quoque illorum tam forte desiderium faciendi iniuriam sicut in uno homine ad hoc quod faciat consimilem iniuriam Sed diceret aliquis []

#JAND[1 51

CONSEQUENTER QUERITUR utrum magis peccet ille qui peccat contra iura scripta quam qui contra iura non scripta

Arguitur quod sic, quia peccatum contra maius bonum est maius peccatum Sed ius scriptum est maius bonum quam ius non scriptum ergo etiam maior patet quia semper maiori bono opponitur maius bonum ut patet ex primo et secundo Ethicorum et minor probari nam illud bonum quod se habet ad alterum per additionem bonum est melius illo modo ius scriptum quod est ius legale se habet ad ius naturale quod est ius non scriptum per additionem alicuius boni Nam sicut habet uideri in 2 Ethicorum ius posituum seu legale oritur a iure naturali per modum determinationis et illa determinatio est quoddam bonum quia aliter illud ius non esset totum bonum quod est absurdum, quare etc.

Item, illud bonum est melius quod est difficilius ut dictum fuit prius Sed ius scriptum est difficilius ut patet per signum quia pene sunt inposita et dampna contra illos qui huiusmodi iura transgreduntur ut uidetur dicere Aristoteles in littera et probatur ratione quia difficilius est facere plura quam pauciora Modo ius posituum seu scriptum includit ius non scriptum seu ius naturale cum quodam alio scilicet cum determinatione ut patet ex 5 Ethicorum, quare etc.

Item, illud bonum quod presupponit alterum et non econuerso est melius illo ut patet per inductionem Felicitas enim que presupponit uirtutem et non econuerso est melior uirtute ut patet primo Ethicorum Similiter homo qui presupponit animal et non econuerso est melius animali quia perfectius Sed ius scriptum presupponit ius non scriptum cum ortum sit ab eo per modi determinationis et non econuerso Immo ante omnia iura scripta erant iura naturalia ut satis patet ex 5 Ethicorum quare sequitur quod ius scriptum est melius iure naturali et per consequens maius peccatum est peccare contra ius scriptum quam contra non scriptum

Oppositum dicit Aristoteles in littera prope finem huius capituli

Notandum est hic quod sicut in specialibus sunt aliqua principia que cognitis suis terminis statim creduntur esse uera sine omni ratiocinatione necessario precedente ut omne totum est maius sua parte et sic de aliis omnibus principiis Aliqua uero complexa sunt que non statim cognitis terminis creduntur esse uera Immo possunt esse dubia uel occulta ut triangulum habere trios angulos equales duobus rectis et celum non habere materiam et huiusmodi Sic in agibilibus humanis sunt aliqua complexa que statim cognitis terminis intellectus iudicat esse uera sine omni deliberatione necessario precedente Uerbi gratia nulli esse nocendum iniuste Auxiliandum est amicis Benefaciendum est ei qui benefecit et huiusmodi multa et hec sunt eadem apud omnes homines cuiuscumque regionis et legis et hec differunt iura naturalia uel iura non scripta que propter sui euentiam et rectitudinem non est necessarium ea scribi Inter iura uel inter leges sicut etiam aliqua principia omnino per se nota non oportet scribere in principiis scientiarum quarum conclusiones redunt ad illa principia ut docet Aristoteles in primo Posteriorum capitulo "Difficile est autem scire si sciunt uel non" Aliqua uero sunt agenda que non omnino sunt per se nota in sua bonitate ut apud omnes recipiuntur bona Uerbi gratia latronem suspendi uel homicidam tradi et suspendi et huiusmodi talia immo diuersificantur apud diuersos secundum diuersas institutiones et uoluntates legislatorum tamen secundum consuetudinem recipiuntur ab illis qui in talibus nutriuntur magis quam secundum ratiocinationem et huiusmodi uocatur iura positua seu iura scripta siue legalia et hec ambo iura describit Aristoteles in 5 Ethicorum dicens quod iustitia naturale est quod ubique habet eandem potentiam et non in uideri uel non legale autem est quod ex principio quodam nihil differt Sic uel aliter quoniam autem ponitur differt Quarum diffinitionem intellectus querat ibidem quia gratia breuitatis premitto et satis patet ex predictis Tullius autem in sua prima Rhetorice sic describit ius naturale "Nature quidem ius est quod nobis non opinio sed quedam innata uis offerat ut religionem pietatem gratiam // benedictionem // uindicationem obseruatiam ueritatem" et describit ibi pulchritudine omnia ista sed uideas tu ea parte quia facilia sunt et in Noua Rhetorica describit ipse sic "Nature ius est quod cognationis aut pietatis causa obseruatur" Sed prima diffinitio est multo melior ut credo Ius autem legale sic describitur in 2 Rhetorica "Legale ius est quod populi iussu sanctitum est queritur ut istud in ius cum uoceris" Considerandum est

etiam ultimus quod sic habet uideri in 4 Ethicorum Ius positium seu legale et ius scripta oritur ex iure naturali non quidem per modum communis quia sic esset magis naturale quam positium sed per modi cuiusdam determinationis Uerbi gratia latronem punire est ius naturale similiter et homicidam Sed quod latro sic puniatur determinatur puta suspendio uel decapitatione hoc est ius positium Similiter ius naturale est honorare deos sed eos sic honorare puta sacrificare capram et non diras oues hoc est positium ut patet 4 Ethicorum et est aduertendum quod ius positium aliquando oritur ex naturali sine admixtationem erroris ut in exemplis premissis aliquando autem cum permixtione erroris ut sacrificare Briseis idest tali mulieri uel Machimeto et huius talia Est enim error exhibere creatore honorem que debetur creatori ut dicit Albertus in Speculo Philosophie Ulterius notandum quod sicut aliquis potest ignorare aliquam communem et tamen cognoscit principia illius communis precipue principia communia et mediata Sic aliquis potest errare contra ius positium non obseruando ipsum et tamen non peccat contra ius naturale ex quo oritur illud ius positium Uerbi gratia Potest aliquis iudex non suspendere latronem ubi hoc est ius positium sed alio modo ipsum punire puta incarcerando uel mutilando uel alio tali modo et ille non peccauit contra ius naturale quod non dicit determinate ipsum sic esse puniendum puta suspendendo Similiter autem et in aliis et sicut quicumque ignorat principia alicuius communis non potest scire illam communem immo necessario illam ignorat ignorantiam apposita scientie eius Sic quicumque peccat contra ius naturale peccat contra ius positium Quicumque enim non punit latronem non punit ipsum tali modo scilicet suspendendo uel decapitando Tunc possumus dicere ad conclusionem quod qui peccat contra ius naturale ipse per se loquendo magis peccat quam qui peccat contra ius positium quod oritur ab isto iure naturali quod sic patet primo per rationem quam Aristoteles innuit in littera melius est esse bonum et iustum libere quam coacte Sed secundum ius naturale homo est iustus libere et secundum ius positium est iustus coacte propter euitationem poene uel damni que uel quod infligitur transgredientibus ipsam legem posituam uel ius scriptum ergo melius est ius naturale quam positium et sic maius peccatum ei opponitur, quare etc. Item, illud ius est melius ad quod magis inclinatur ratio et cuius oppositum minus potest ratio iudicare esse bonum quia ratio recte et ad optimam deprecatur /primo Ethicorum/ Sed ratio magis determinate inclinatur ad ius naturale quam ad positium quia positium potest diuersificari apud diuersos et in diuersis temporibus apud eosdem Ius autem naturale non diuersificatur apud diuersos nec apud eosdem in diuersis temporibus Uerbi gratia In una patria suspenditur latro in alia decapitatur aut rotatur/?/ aut aliquo huiusmodi alio modo punitur Sed apud omnes est quod latro punitur Similiter autem et in aliis suo modo Item, magis peccat ille qui peccat contra plura quam contra unum saltem ceteris paribus Sed quicumque peccat contra ius naturale peccat contra plura quam qui contra ius positium Nam qui peccat contra ius naturale peccat etiam contra ius positium ut prius patuit et sic peccat contra duo Sed qui peccat contra ius positium non necessario peccat contra ius naturale ut dictum est prius

Item, illud ius est melius per quod diriguntur plures policie quam illud per quod pauciores cum ipsa iura ordinentur ad directionem policiarum ut satis patet ex 4 Ethicorum Sed per ius naturale diriguntur plures policie quam per ius positium quod oritur ab illo Uerbi gratia omnes policie utuntur isto iure quod fur est puniendus sed non omnes utuntur isto iure quod fur est suspendus Similiter et de aliis Nam unumquodque ius naturale obseruatur apud omnes policias rectas et ideo Aristoteles dicit quod ubique habet eandem potentiam Sed non quodlibet ius positium obseruatur in qualibet policia recta sed aliud in alia Similiter in omnibus legibus obseruantur iura naturalia non autem iura scripta modo premissis, quare etc. Sic ergo patet quod per se loquendo magis peccat qui peccat contra iura non scripta quam qui peccat contra iura scripta per accidens cum contingit econtra quia ille qui peccat contra iura scripta magis uidetur inclinatus ad peccandum quam qui contra non scripta eo quod poene posite et damna quibus puniuntur transgressores iurium posituorum et sic minus uidetur timere qui contra ea peccat quam qui contra iura non scripta peccat pro quibus non sunt poene posite neque damna Modo ille magis peccat qui minus timet peccando quam qui magis quia ille magis delectatur quam iste Uerbi gratia Nulla poena est inposita que debeatur illi qui non honorat parentes uel qui non amat amicos Est autem poena posita uel damnum quam debet sustinere

iudex qui non suspendit latronem quando potest et debet Si ergo aliquis [] istam poenam uel damnum et dimitteret latronem abiecere signum esset quod multo facilius dimitteret honorare parentes pro qua dimissione nullam poenam reciperet neque damnum et sic uidetur quod peccare contra iura scripta quorum transgressio est timenda est maius peccatum quodammodo significare quia significat magis quod sic peccans leuiter peccaret contra ius naturale quam econtra Si enim aliquis non honorat parentes hoc non significat quod dimitteret latronem abiecere Similiter autem et in aliis suo modo et forte hec est intentio Aristotelis in littera cum subdit "Alio autem modo et si contra scripta" etc Inquire diligenter ut inuenias ueritatem Ad primum argumentum dico breuiter ad presens quod ipsum ius posituum non includit aliquid aliud quod sit bonum bonitate moris nisi ius naturale a quo oritur ita quod illa determinatio que constituit ius posituum non habet aliam bonitatem a bonitate illius iuris naturalis Uerbi gratia Latronem punire suspensio hoc totum nullam habet uoluntatem moris nisi ratione punitionis latronis Ipsa enim suspensio latronis in quantum est suspensio non est bona bonitate morali sed solum est bona in quantum est punitio latronis et tamen ipsum iustum posituum est bonum absolute bonitate partis punitualis Cum ergo dicitur in probatione minoris argumenti "Illud bonum quod se habet per additionem etc" uerum est si illud additum habet bonitatem distinctam a bonitate illius cui additur sed si non oportet Uerbi gratia liberalis aliter se habet per additionem ad liberalem et tamen non est melior secundum morem quam liberalis et hoc recipiatur ut exemplum Modo illa determinatio que includitur in iusto legali seu posituo non habet aliam bonitatem a bonitate ipsius iustis naturalis et si queras quare ergo additur huius determinatio ad ipsum iustum naturale dico quod hoc est pro tanto quia non potest fieri uel existere actum extra animam humanam iustum sine aliqua tali determinatione ut latro non potest puniri nisi uel suspensio uel decaptatio uel aliquo tali modo Sed quare aliqui legislatores eligunt talem modum potest esse propter diuersas condiciones hominum ratione quarum contingit quod unus istorum morum est commodior aliquibus et ille aliis Uerbi gratia si in aliqua regione homines sunt multum parui et inclinati ad furtum bonum est quod fures manifestius et durarius puniantur ut alii timeant committere furtum Ubi uero minus inclinantur sufficit minor punitio et sic de aliis suo modo

Ad aliud potest dici quod uerum est ubi sint duo bona diuersa quarum bonitas unius est alia a bonitate alterius Sed si bonitas unius non sit alia a bonitate alterius non oportet et sic est hic Nam licet ius naturale et ius posituum sit bonum tamen bonitas iuris positui non est alia ab bonitate iuris naturalis ut declaratum est Per idem ad aliud argumentum Maior enim uera est solum ubi bonitas unius est alia a bonitate alterius formaliter et sic non est hic

Item, posset aliter intelligi quod magis peccat qui peccat contra ius scriptum quam qui contra ius non scriptum et quod actus interior quo aliquis transgreditur ius scriptum est peior malitia nocenti uel damni quam actus interior quo aliquis peccat contra ius naturale Uerbi gratia si aliquis iudex de facto et actu exteriori dimittat latronem abiecere uel non suspendat ipsum iste actus est peior idest dampniosior uel magis nociuus Rei Publice quam si quis eligeret non suspendere latronem in quo peccaret contra ius naturale Cum enim uoluntates hominum sint occulte ille qui sic eligit in quantum huiusmodi non dat aliis exemplum peccandi Sed ille qui de facto exteriori dimittit latronem abiecere uel non suspendit ipsum dat aliis exemplum furandi quia per hoc alii accipiunt spem euadendi sicut uident illum euadere

#JAND[1 52

DE UOCATIS AUTEM INARTIFICIALIBUS Potest hic queri utrum persuasio per leges sit artificialis et arguitur quod sic, quia illa persuasio est artificialis que docetur in arte Hec uidetur esse manifesta sed persuasio per leges docetur in arte ut per Aristoteles patet in littera, quare etc.

Item, persuasio per leges aut est artificialis aut naturalis aut fortuita aut causalis per sufficientem diuisionem que habetur in 2 Phisicorum et 7 Metaphisice Sed persuasio per leges non est naturalis quia sic inesset omnibus uel pluribus nec hoc indigent addiscere leges quod est absurdum nec sufficit dicere quod sit naturalis secundum aptitudinem scilicet quia homines habent naturalem aptitudinem ad persuadendum

per ipsas leges quia sic omnis persuasio potest dici naturalis eo quod habent naturalem aptitudinem ad omnem persuasionem ut satis patet in primo huius libro nec potest dici quod sit causalis et fortuita quia non est preter intentionem immo ex intentione ut manifestum est, quare etc.

Item, illud cuius materia est artificialis illud est artificiale Hec uidetur esse manifesta per se Sed materia persuasionis per leges est artificialis scilicet ipse leges que sunt ab arte puta ars legis positivae ut etiam est manifestum ut patet ex 10 Ethicorum, quare etc.

Oppositum uult Aristoteles

Dicendum breuiter quod persuasio per leges potest considerari dupliciter quantum spectat ad propositum Uno modo quantum ad subiectam ipsius legis Alio modo quantum ad modum utendi ipsa lege que extur in tali persuasione Primo modo non est persuasio artificialis artificianti rethorice quia illud quod [] ab aliqua arte et non docetur eius constitutio In ipsa arte non est proprie artificialis secundum se sed constat quod leges [] in rhetorica et non docetur constitutio in ea, quare etc. Secundo dico quod persuasio per leges bene est artificialis quantum ad modum utendi ipsis legibus Nam illud quod docetur constitui per artem et per eam producitur est artificiale ut patet inducendo ut habetur in 6 Ethicorum Sed usus legum et modus utendi ipsis docetur constitui et constituitur debito modo per artem scilicet per rhetoricam ut patet per Aristotelem in littera et per Tullium in sua rhetorica Ad quam autem artem pertinet constitutio legum non est ad propositum forte patet ad politiam nec est inconsequens quod usus alicuius rei iam constitute et modus utendi illa re pertineat ad uerum artificem et constitutio illius rei pertinet ad alium ut ad artem militarem pertinet uti gladio et telo et lancea et huiusmodi et ad alias artes pertinet constituere ista Similiter autem ad nautam pertinet usus nauis et modus utendi ipsam et tamen ad ipsum non spectat constituere nauem sed ad nauifactorum Sed numquam rhetorica erit nobilior quam lex positiva et principaliter ea Cum uideamus gubernatorem nauis esse principalem nauifactorum et militarem nauifactorum eo quod gubernata utitur nam genera/?/ nauifactoria constituit et militaris utitur seruo/?/ quod nauifactoria facit ut habetur ex 2 Phisicorum et forte dicitur quod alicuius rei duplex est usus unus optimus et ultimus et alius nec optimus et ultimus sed procedens ad ultimum et ad ipsum ordinatus Est autem ueritas quod ars que utitur aliqua re artificiali usu optimo et ultimo est principalior illa que solum illam rem constituit ut bene habetur ex prohemia Metaphisice Sed que utitur aliqua re artificiali usu non optimo nec ultimo forte non oportet quod sit omnino melior Uerbi gratia logica docet constituere demonstrationem et ea utitur ad probandum passiones demonstrationis de ipsa demonstratione et tamen non sequitur quod ipsa logica sit simplex melior se ipsa quia ille non est usus optimus demonstrationis nec ultimus immo usus eius ad communes [] speculatiuarum est melior quam usus ad communes logicas Sic autem uidetur esse in proposito nam ipsarum legum iam constitutarum est quasi duplex usus Unus ad persuadendum iudici et ille pertinet ad oratorem ut patet in isto libro Alius est usus ipsarum legum iudicare et sententiarum secundum eas et ille non pertinet ad rhetorem sed ad iudicem et primus quidem usus non est ultimus nec optimus sed ordinatus ad secundum ut satis patet cuilibet intellegenti et ad hoc enim rhetor persuadet iudici aliquam partem ut sententiet pro illa, quare etc. Inquirere ueritatem quia non dico nisi ad dubitando ad presens Sicut autem dixi de persuasionibus per leges et sic de persuasionibus per testes per pacta per extorta et per iuramenta credo intellegendum

Ratio procedit sua uia

Probat enim satis quod persuasio per leges est artificialis aequaliter quantum ad modum utendi legibus Sic enim consideratur hic et docetur constitui Sed quantum ad subiecta legis non est artificialis artificiante rethorice et quia magis et principaliter sit fides per ipsam subiectam legis quam per modum allegandi ipsam legem uel utendi ea Ideo dicit quod huiusmodi persuasio est /in/artificialis non tamen negauit omnino eam esse artificialem et forte hoc signauit in suo modo loquendi in principio capituli ubi dicit DE UOCATIS AUTEM et ARTIFICIALIBUS et non dicit simpliciter "in artificialibus"

Ad aliud potest dici quod huiusmodi persuasio bene est artificialis quantum ad ipsas leges nec tamen artificiante rethorica sed politica uel legis positiva et sic intellegendum est

Ad aliud per idem potest enim materia propria alicuius rei artificiali esse artificialis secundum unam artem et forma secundum aliam ut materia nauis propria sit a lignorum [] et forma sit a nauifaciua et usus a gubernatiua Sic autem est in proposito suo modo nam persuasio per leges quantum ad suam materiam est artificialis secundum legis posituam et quantum ad formam [] est secundum rhetoricam et quantum ad modum utendi est similiter secundum rhetoricam

#JAND[2 1

EX QUIBUS QUIDEM IGITUR HIC INCIPIT SECUNDUS LIBER circa quem primo potest queri utrum contingat prudentem et iustum non optima consulere

Arguitur quod non, quia ille qui circa singularia recte iudicat et cui in singulis uerum apparet non potest non optima consulere Hec uidetur manifesta Sed prudens et iustus est huiusmodi ut patet per Aristotelem in 2 Ethicorum, quare etc.

Iterum si prudens non optima consuleret tunc prudens non esset prudens quia opus proprium prudentis est recte consiliare ut patet ex 6 Ethicorum Modo unumquodque cum deficit ab opere proprio non est illud 4 Meteorum

Iterum sicut se habet malus ad bene consulendum sic bonus ad male consulendum uel non bene per conuenientem similitudinem Sed non contingit malum et imprudentem bene consulere ut patet ex 4 Ethicorum quia "unusquisque qualis est talia dicit et operatur", quare etc.

Oppositum dicit Aristoteles in littera

Est aduertendum quod aliquem non optima consulere est dupliciter Uno modo quia non consulit omnino et sic non recte nec optima consulit Alio modo quia consulit inique tantum et male consulit et sic non recte nec optima consulit Rursus ille qui petit consilium ab aliquo prudente uel est uirtuosus uel non et si est uirtuosus uel hoc est notum ipsi prudenti uel non notum Tunc dico breuiter quod prudentem et iustum non contingit non optima consulere tali modo quod male et inique consulat quia prudens et iustus in quantum huiusmodi non dicit aliquod malum manens prudens et iustus Modo mendacium est per se prauum et fugiendum 4 Ethicorum et similiter minus bonum est malum in respectu maioris boni Ergo prudens secundum quod prudens est et iustus numquam dat falsum consilium uel minus bonum consilium quam possit dare Quare relinquitur quod prudens cum consulit semper optima consulit secundum quod est ei possibile supposito/?/ tamen quod ille cui dat consilium sit bonus et uirtuosus Dico tamen quod //non// licet prudentem /non/ optima consulere alicui tali modo quia cum non consulit ei aliquod uidelicet si ille qui petit consilium sit malus et non sit notum prudenti ipsum esse bonum et uirtuosum quia prudens potest hoc modo non optima consulere illi qui non est beniuolus malo /oportet enim malos odire ut habetur in quadam [] in isto primo huius/ uel ei quem nescit esse bonum quare potest ei non optima consulere quia omnino nihil consulere Sed quereres "Numquid licet prudenti consulere malum illi quem scit esse malum?" Uidetur quod sic quia eiusdem moris est amicis bene facere et inimicis male secundum Aristotelem Modo omnis malus etiam debet esse inimicus prudenti qui cognoscit eius malitiam sicut omnis bonus debet esse amicus ei aequaliter ut satis patet ex 8 Ethicorum, quare etc.

et forte dicendum quod sicut oportet amicis benefacere non quocumque modo sed palam et manifeste eo quod amicitia est mutua beniuolentia non latens 6 Ethicorum sic oportet inimicis malefacere non quocumque modo sed manifeste et hoc potest probari per istam regulam "Si oppositum in opposito et propositum in proposito" Sed oportet amicis manifeste siue palam benefacere ergo oportet inimicis palam malefacere Modo consiliari alicui malum consilium non est malefacere manifeste sed sub specie boni quia semper est consilium de bono prosequendo et conseruando uel de malo fugiendo Unde non licet alicui prudenti secundum bonos mores dare etiam inimico malum et falsum consilium pretendendo ei illud esse bonum immo istud esset proditio et iniquitas detestabilis presertim quia cum aliquis accipit consilium ab aliquo iam uidetur ipse reputare amicum quia confidit in eo Unde quia ille dat ei malum et falsum consilium proditio est et peruersitas precipue quia omnis perfecte prudens et magnanimus secundum Aristotelem in 6

Ethicorum ubi uult quod prudentia uni inexistenti omnes inerunt modo omnis uero magnanimus est manifestus amator et manifestus oditor 4 Ethicorum quare uidetur quod prudens non debet clam et in occulto nocere inimico suo dando ei consilium falsum sub specie boni Ad primum argumentum patet ex dictis Bene enim concludit quod prudens quando consulit optime consulit prout est sibi possibile Sed non sequitur propter hoc quod semper consulat optime unicuique immo aliquibus nullo modo consulit neque bene neque male propter maliuolentiam

Ad aliud neganda est consequentia et cum dicitur quod prudentis opus est recte consiliare uerum est cum consulit sed cum non consulit neque recte neque male consulit Modo interdum non consulit immo omni<no> negat suum consilium nec est necesse quod unumquodque semper actu exerceat suum actum sed sufficit quod possit potentia propinqua exercere ipsum unde Aristoteles non dicit 4 Meteorum quod unumquodque cum agat suum opus non est illud sed cum non potest in ipsum opus proprium

Ad aliud dico quod bene concludit quod non contingit prudentem et iustum cum consulit male consulere uel non optima consulere sed cum omnino non consulit tunc non optima consulit Cur itaque Aristoteles dicit quod contingit prudentem et iustum non optima consulere? Istud potest habere duas causas ueritatis aut quia contingit ipsum non omnino consulere <et pro ista est uerum aut quia contingit ipsum consulere> male uel minus bene et pro isto non est uerum immo prudens simpliciter et iustus quandocumque consulit optime consulit prout est possibile ei in materia subiecta

#JAND[2 2

<S>unt igitur passiones Queritur hic utrum ad istam scientiam pertineat considerare passiones anime Arguitur quod non, quia pertinet ad naturalem ut patet primo De Anima et in De motibus animalium tamen quia pertinet ad monasticam ut patet ex 2 Ethicorum

Item, si sic tunc deberet considerare omnes huiusmodi passiones quod non uidetur quia non considerat de letitia nec de abhominacione et desiderio nec de spe et desperatione nec de gaudio et patet consequentia quia non est ratio quare determinare debeat de aliquibus et non de aliis, quare etc.

Oppositum patet <per> Aristotellem in littera

Hic est notandum primo quod cum uirtus cogitativa in homine et estimativa in brutis cognoscit uel apprehendit aliquid sub ratione boni statim appetitus sensitivus inclinatur ad prosequendum uel conseruandum illud bonum uel quietatur in illo bono cum autem apprehendit aliquid tamquam malum tunc appetitus sensitivus inclinatur ad fugiendum uel abiciendum illud aut inquietatur et turbatur pro illo Talis autem inclinatio uel quietatio uel inquietatio appetitus sensitivi in bonum uel malum uocatur passio de qua intendit questio proposita et diffinitur ab Eustratio 2 Ethicorum sicl "passio est motus appetitiue particule sub fantasia boni uel mali" et capit 'fantasiam' communiter pro cogitatione uel estimatione Est autem considerandum quod appetitus sensitivus secundum communem doctrinam distinguitur in appetitum concupiscibilem et irascibilem et differunt isti duo quia appetitus concupiscibilis inclinatur in bonum uel malum secundum se et absolute appetitus autem irascibilis in bonum uel malum difficile seu arduum Uel per appetitum concupiscibilem inclinatur animal ad bonum uel malum per irascibilem inclinatur ad resistendum inpedientibus ipsum bonum Passionum igitur quedam sunt appetitus concupiscibilis quedam irascibilis Concupiscibilis sunt sex secundum communem doctrinam tres respectu boni et tres respectu mali Respectu boni sunt iste amor desiderium et delectatio que sic differunt ut puto quia desiderium stle et proprie est respectu boni non habiti amor uero est respectu boni habiti scilicet inclinatio ad eius conseruationem et delectatio est respectu boni (uel) habiti uel in re uel in spe Qualiter autem differt delectatio ab amore cum uterque sit respectu boni iam habiti dicitur communiter quod sic differunt quia amor est quedam conplacencia qua ipsum bonum habitum conplacet habenti delectatio autem est quedam quietatio appetitus in illo Passiones uero appetitus concupiscibilis respectu mali sunt abhominatio odium et tristitia et differunt quia abhominatio est respectu mali nondum habenti /pro habiti/ unde dicimus quod infirmus abhominatur potationem quam nondum recepit sed odium est respectu mali iam habiti uel quasi

habiti tristitia autem est respectu mali habiti in re uel in estimatione scilicet inquietatio quedam in ipso malo uel respectu ipsius Irascibilis autem appetitus passiones similiter dicuntur esse sex quarum due sunt respectu boni ardui futuri scilicet spes et desperatio et differunt quia per spem ferimur in huiusmodi bonum quando reputamus seu iudicamus ipsum nobis esse possibile per desperationem deficimus ab eo cum iudicamus impossibile nobis Quatuor uero sunt respectu mali scilicet due respectu malib presentis et due respectu mali futuri Respectu quidem mali futuri sunt due scilicet audacia et timiditas et differunt quia per audaciam ipsum malum aggredimur ut pugnam seu uindictam et huiusmodi difficilia et dolorosa Per timiditas uero deficimus ab ipso malo Respectu uero mali presentis sunt due scilicet ira et mansuetudo seu irascibilitas Per iram quidem mouemur ad consequendum uindictam pro ipso malo per irascibilitatem uero que aliquando uocatur mansuetudo deficimus a uindicta Hee igitur dicuntur esse passiones appetitus sensitiui Quereret aliquis quare non est aliqua passio in appetitu irascibili respectu boni presentis uel iam habiti? Potest dici quod hoc est pro tanto quia irascibilis non fertur nisi in bonum sub ratione ardui et difficilis bonum autem iam presens et adeptum non amplius reputatur arduum nec difficile Hiis uisis dicendum est breuiter quod passio potest considerari uno modo in quantum est quoddam accidens anime quod est principium intrinsecum propinquum motus animalis localis et sic consideratur in De causis motus animalium Alio modo in quantum ma<g>nificatur et moderatur a uirtute uel opponitur uirtuti et sic consideratur in libro Ethicorum Alio modo in quantum est dispositio anime ad sic uel sic credendum uel iudicandum et sic consideratur hic Unde Aristoteles in principio huius capituli dicit sic "Sunt autem passiones propter quascumque moti differunt ad iudician et prius dixerat prope principium "Non enim eadem uidentur amantibus et odientibus neque iratis et mansuete se habentibus sed aut omnino altera aut secundum magnitudinem alteram et ideo dixerat in primo libro "Non similiter credimus iudicia tristes gaudentes et amantes et odientes" Secundum hanc rationem debet rethor considerare istas passiones anime quia ad ipsum pertinet docere modum quemlibet secundum quem fit fides seu credulitas de conclusionem sua hic autem est unus modus scilicet per passiones ut patet in littera, quare etc. Uerum est tamen quod iste modus faciendi fidem non est potissimus seu principalis quia per istum non ostenditur sic esse uel non esse uel fuisse uel non fuisse ut dicebatur in primo huius et ideo etiam sermones passionatiui dicebantur non esse de principali consideratione huius scientie Ad primum argumentum et 2um patet ex dictis nam secundum alteram rationem consideratur passio anime hic et ibi Ad aliud respondet Expositor quod Aristoteles comprehendit abhominationem sub odio et desiderium sub amore et forte est econuerso de amore et desiderio quia ex desiderio magis oritur amor cum enim prius aliquid desideretur quam habeatur et cum bonum habetur tunc ipse amatur uidetur quod desiderium precedat amorem et sic amor oritur ex desiderio id est post desiderium Uerum est tamen quod desiderium ordinatur ad amorem sicut minus perfectum ad perfectius et sic potest dici oriri ex ipso tamquam ex fine aliquo modo ad hoc enim desideramus aliquid ut cum habitum fuerit ipsum amemus non autem econuerso Similiter Aristoteles non exprimit de spe et desperatione quia spes reseruatur in audacia et desperatio in timore Gaudium uero et letitia sunt idem realiter cum delectatione de quo satis tractauerat in primo libro in tractatu de negotio disceptatiuo seu de accusatione et defensione Qualiter autem uirtutes morales distinguuntur secundum distinctionem passionum uidendum est in libro Ethicorum sed non hic

#JAND[2 3

et AD OMNEM IRAM potest hic breuiter queri utrum ad omnem iram sequatur aliqua delectatio et arguitur quod non, quia ad unum et idem non sequuntur contraria cum consequens debeat includi in antecedente primo priorum Sed ad iram sequitur tristitia Semper enim ira prouenit ex paruipensione apparenti et ipsa paruipensio est quoddam malum Constat autem quod malum apprehensum causat tristitiam, quare etc.

Oppositum dicit Aristoteles in littera

Dicendum quod sic quia quicumque sperat aliquod sibi contingere delectatur <in> illo Hec est de se manifesta Sed omnis iratus sperat sibi contingere aliquod bonum ut manifestum est Sperat enim assequi uindictam que est quoddam bonum arduum et difficile, quare etc. et hec est intentio Aristotelis in littera Sed est aduertendum quod unum accidens consequitur aliud accidens multis modis Primo tamquam pars diffinitionis illius sicut ad albedinem sequitur color Alio modo sicut dispositio propria preexistens ad ipsum sicut ad colorem sequitur superficies uel ad lucem diaphaneitas Nullum enim corpus recipit lumen ab alio corpore nisi preexistat diaphaneitas secundo de Anima Alio modo tamquam proprium accidens ut triangulum sequitur habitus trium angulorum equalium duobus rectis Alio modo quia ambo sunt propria accidentia proprii subiecti ut ad risibilem sequitur perceptibilitas discipline et econuerso Modo quereretur aliquis quo istorum modorum ad iram sequitur delectatio et forte non esset magnum peccatum dicere quod delectatio sequitur iram sicut pars diffinitionis eius ut dicere quod ira est delectatio consequens apprehensionem uindicte apparentis sub ratione boni uel possibilis et hoc forte uoluit dicere poeta qui dicit quod ira crescit in pectoribus hominum multo dulcior melle distillante quasi uellet per hoc significare quod <tanto?> ipsa ira e<s>t maior et nobilior delectatio quam sit illa que fit a mellis dulcedine quanto uindicta de paruipensione est maius bonum quam dulcedo mellis Tristitia uero consequitur iram sicut dispositio necessario requisita in appetitu ad hoc quod irascatur Numquam enim aliquis appeteret uindictam nisi prius naturaliter esset tristatus pro paruipensione sibi illata Ad argumentum dico breuiter quod non omnis tristitia omni delectationi opponitur seu contrariatur sed oportet quod sint respectu eiusdem ita quod delectatio de aliquo bono adepto contrariatur tristitie que provenit ex defectu uel priuatione illius boni et tristitia que est ex aliquo malo illato contrariatur delectationi et remotioni illius mali Modo tristitia que disponit ad iram et delectatio que consequitur ad ipsam non sunt respectu eiusdem nam tristitia est respectu paruipensionis uel iniurie et delectatio est respectu uindicte que speratur et ideo non habent contrarietatem propter quod non est inconueniens eas simul esse et consequi ad unum et idem Uel dicatur quod ad iram non sequeretur tristitia secundum presentem existentiam sed secundum preteritam ut diceretur "iste est iratus ergo fuit tristis" sed simul dum est iratus non est tristis Uerum est tamen quod si est aliquod tempus inter tristitiam et ipsam iram est ualde modicum ita quod propter paruitem non facile percipi potest De hoc autem rhetoricus modicum curat

#JAND[2 4

ADHUC SI CONTRARIA RES EXTITERIT Queratur hic utrum malum inopinatum magis contristet quam opinatum

Arguitur quod non, quia idem malum minus contristat quod accidit homini minus disposito ad tristitiam eo quod actus actiuorum sint in patiente disposito 2 De Anima Sed malum inopinatum accidit homini minus disposito ad tristitiam ut manifestum est Cum enim aliquis preopinatur aliquod malum sibi contingere in futurum ex hoc iam contristatur aliquantulum et sic cum/?/illud malum accidit inuenit subiectum suum dispositum ad tristitiam quod non contingit de malo inopinato

Item, Si sic esset tunc medicus cognoscens signum egritudinis maioris in aliquo minus egroto deberet ei predicere istam egritudinem esse futuram ut minus contristaretur adueniente illa sed hoc non faciunt immo contrarium Dicunt enim quasi semper "Uos non habetis nisi bonum" uel "Cito eritis curatus", quare etc.

Item, Quod magis contristat est magis malum sed malum inopinatum non est semper maius malum Percussio enim inopinata non est maius malum quam abscissio brachii uel pedis, quare etc.

Oppositum dicit Aristoteles in littera

CONTRISTAT ENIM MAGIS QUOD MULTUM INOPINATUM etc

Ad hoc potest dici breuiter quod malum inopinatum magis contristat intensiue ceteris paribus quam idem preopinatum Uerbi gratia Si aliquis uulneretur ex inopinato magis contristaretur quam si consimili uulnere uulneretur preopinato quod sic deberet uulnerari Similiter et in aliis suo modo Quod potest sic probari quia duplex malum magis contristat ceteris paribus quam simplex malum Sed uulneratio inopinata est quasi

duplex malum Nam et ipsa uulneratio est quodam malum et ipsa carentia opinionis est quodam malum ut manifestum est Ipsa uero uulneratio preopinata non includit nisi unum malum utpote uulnerationem Nam cognoscere malum non est malum secundum Boethium in suis Topicis, quare etc. Tamen malum preopinatum ceteris paribus diutius contristat quam inopinatum quia contristat priusquam acciderit et cum accidit et priusquam acciderat Malum uero inopinatum non contristat antequam contingeret quare ect Ad argumentum potest dici concedendo maiorem si cetera sint paria et sic non est hic Nam licet malum preopinatum quando accidit inueniat subiectum magis dispositum tamen ipsum malum inopinatum est maius malum ut uisum est Unde pro tali modo tristatur homo ex eo quod tale malum recipit et ex eo quod non preuidit quia opinatur quod si preuidisset ipsum potuisset euasisse Sed ille cui accidit malum quod prius bene opinabatur et contra quod opposuit remedia que potuit consolatur quodammodo in se ipso propter hoc quia uidetur ei quod non poterat ipsum uitare et sic licet malum preopinatum inducat aliqualem tristitiam per considerationem possibilitatis eius et malitie tamen est aliud quod recompensat uidelicet quia speratur illud malum preuisum posse uitari et huiusmodi spes cum sit de quodam bono inducit aliquam delectationem ratione cuius ipsum subiectum est minus dispositum ad contristationem quam si prorsus cognitio non preuisset Si uero malum aliquod sit ineuitabile omnino sicut mors tunc illud non preopinatur fore sed prescit et sic de tali non est ad propositum, quare etc.

#JAND[2 5

AMICIS AUTEM SI NON BENE DICANT Queritur utrum aliquis magis irascitur amico suo male dicenti uel male facienti ei quam inimico uel alteri

Arguitur quod non, quia illi uel contra illum non debet aliquis magis irasci qui rarius malefecit aut maledicit Sed amicus rarius maledicit aut malefacit amico quam alius ut manifestum est, quare etc.

Item, illi debet aliquis minus irasci quem magis penitet offendisse sed cum aliquis amicus offendit amicum magis et citius penitet ipsum quam alium, quare etc.

Item, illi debet homo minus irasci a quo plura bona recepit sed ab amico plura bona recepit aliter enim non esset eius amicus, quare etc.

Oppositum uult Aristoteles in littera

Intellegendum est quod cum aliqui duo homines sunt ad inuicem uere et proprie amici numquam uel raro contingit quod unus illorum manens amicus offendat alterum quia amare alterum est uelle ei bonum gratia ipsius et secundum posse esse actiuum eorundem ut patet in isto secundo Unde si aliquis ex certo proposito malefacit alteri iam non est eius amicus Si autem unus amicorum preter intentionem ut casualiter faceret alteri malum aut diceret non deberet inde sequi ira in illo cui malefaceret aut diceretur et sic ut mihi uidetur propositio Aristotelis non habet locum proprium in ueris amicis sed in amicis falsis et fictis Contingit enim quod aliquis reputat sibi alterum uerum amicum et tamen ille non est eius uerus amicus sed solum fictus et apparens Maxime autem potest homo experiri uerum et falsum amicum aduersitatis tempore Uerus enim amicus in aduersitatibus est paratus ad auxilium et ad partem laboris etiam sine eo quod uocetur ut patet ex 6 Ethicorum Sed falsus amicus licet in tempore prosperitatis pretendat se amicum scilicet quamdiu potest accipere bonum aliud ab illo cui se pretendit amicum tamen in tempore aduersitatis et infortunii recedit et deserit illum quem prius sequebatur et de huiusmodi falsis amicis plurima dicta sunt a philosophiis moralibus Dicit autem Seneca in suis Prouerbiis "Amicum an habeas aperit calamitas" et <in> Sententiis Philosophorum dicitur "Amicus non est qui fortune particeps non est" Unde cum cuidam philosopho demonstratis duobus quorum unus erat pauper et alter diues diceretur quod illi essent amici respondit "Cur ille diuite ille pauper est?" et parum post "Difficile est in re prospera amicum probare in aduersa facile" et Tullius in 2 sue Noue Rhetorice "Ita ut hirudines estiuo tempore presto sunt frigore pulse recedunt ne falsi amici serene uite tempore presto sunt simul atque hiemem fortune uiderint deuolant omnes" et Uersificator dicit "Cum fueris felix multos numerabis amicos Tempore cum fuerint nubila solus eris" Dico ergo breuiter quod cum aliquis putat alterum esse suum amicum et non est immo maledicit ei ex

certo proposito aut malefacit magis irascitur ceteris paribus quam si aliquis sic se haberet ad ipsum et sic puto Aristotelem intellegere Quod potest probari sic ille magis irascitur qui non solum recipit ab alio mala sed etiam percipit se deceptum ab eo et sua bona que ei dederat predidisse quam qui solum recipit mala ceteris paribus Sed cum aliquis falsus amicus malefacit aut maledicit illi qui ipsum reputabat amicum hec contingunt ut manifestum est Tunc enim ille percipit se deceptum et agnoscit se perdidisse bona que largitus est eidem et ideo dicit Seneca in primo Epistularum epistula 4 Quamdiu cogitandum est an aliquis in amicitiam recipiendus sit nullum enim habet malum maius occupatus homo et bonis suis obsessus quam cum putat amicus esse quibus ipse non est et ipse dicit in De Copia Uerborum et in primo Epistularum epistula 3

Rationes procedunt uias suas

Bene enim probant quod si fortuito contingit uero amico aliquando malefacere uel maledicere amico non sic deberet irasci sicut irasceret contra alium sed de falso amico quem prius aliquis putabat uerum magis debet irasci et indignari qui a tali decipitur et ad istam intentionem dicit Seneca in Prouerbiis quod bonus amicus lesus supple a falso amico grauius irascitur et in libello de Sententiis Philosophum dicitur quod duplicatur dolor cum ab eo a quo bene merueras uenit Si autem contingit per aliquam uiam quod aliquis bonus amicus alterius secundum habitum per aliquam passionem malefaceret aut malediceret suo amico tunc pro illa hora in qua de nouo sciret huiusmodi malum magis irascitur intensiue quam contra inimicum ceteris paribus sed forte ira sua non ita diu duraret immo citius sedaretur propter causas dictas in rationibus nisi contineret quod illa offensa fieret ex superhabundantia malitie ut innuit Aristoteles in 6 Ethicorum Tunc enim non solum magis irasceret intensiue sed etiam continuaret odium suum ad ipsum sicut ad inimicum Sed istud ualde raro contingit de amicis ueris et perfectis propter quod de hoc non est necesse multiplicare sermonem

#JAND[2 6

CONSEQUENTER QUERITUR utrum obliuio sit factiua ire

Arguitur quod non, <quia> nulla priuatio est factiua alicuius positiui Sed obliuio est quedam priuatio, quare etc. Maior patet quia priuatio est per se non ens ut patet in primo Phisicorum 4 et 10 Metaphisice non ens non est factiuum alicuius entis cum facere presupponit esse et minor similiter patet nam obliuio est priuatio cognitionis eius quod prius fuit cognitum ut patet in De Memoria et Reminiscentia Constat autem quod ira est quid positium, quare etc.

Oppositum dicit Aristoteles in littera

Dicendum breuiter quod obliuio est quodam modo factiue ire non quidem in illo in quo est obliuio subiectiue sed in illo cuius est obliuio obiectiue ut si aliquis primo cognouerit te et nomen tuum et postea obliuiscatur tui et nominis tui tu inde moueris ad iram Cuius rationem assignat Aristoteles in littera Nam illud quod est signum paruipensionis est causa ire quodam modo cum ira proueniat ex paruipensione Sed obliuio est signum paruipensionis quod patet quia obliuia prouenit ex incuria idest ex eo quod aliquis non habet curam de aliquo obliuiscitur ipsius Unde per oppositum cum uolumus de aliquo memorari habemus curam de ipso meditando circa ipsum iuxta illud Aristotelis in De Memoria et Reminiscentia frequentes meditationes saluant memoriam sic autem incuria causat obliuionem Incuria autem est quedam paruipensio cum enim aliquis non curat de aliquo ipsum paruipendit ut dicit Aristoteles in littera et sic patet quomodo obliuio est signum paruipensionis, quare etc. Ad argumentum <cum> dicitur "Nulla priuatio" etc potest dici quod uerum est per se ipsam et uirtute propria sed ratione alicuius positiui comitantis bene potest et sic est in proposito nam ipsa obliuio secundum se ipsam et uirtute propria non faceret iram sed ratione alicuius positiui quod comitatur uel creditur comitare bene facit ipsam iram Cum enim aliquis obliuiscatur tui aut nominis tui tu reputas quod ista obliuione comitetur aliquod damnum uel aliqua mala opinio qua ille opinetur et non esse dignum cura uel memoria uel aliquod huiusmodi Qualiter autem priuatio intellegitur non est presentis speculationis

#JAND[2 7

QUOS AUTEM AMANTUR Queritur utrum omnes homines idonei ad deridendum sint amabiles Arguitur quod non, quia ille qui prouocantur ad iram non sint amabiles Modo illi qui derident aliquos prouocant ad iram ut patet in littera in principio istius capituli "Irascentur autem et deridentibus", quare etc.

Oppositum dicit Aristoteles in littera

Notandum est quod aliquem deridet alterum contingit duobus modis Uno modo causa delectationis assistentiui et sine despectu illius qui deridetur Alio modo sine delectatione assistentiui et cum despectum uel cum contemptu illius derisi Primo modo si aliquis est idoneus ad deridendum et hoc faciat loco et tempore debito et modo quo decet ipse est amabile quia iste qui causat in hominibus aliquod quid est naturaliter desiderabile est amabile in quibus hoc effecit Sed homo qui deridet alterum primo modo inducit in assistentes aliquid quod non est naturaliter desiderabile, quare etc. Maior patet quia cum homines naturaliter desiderant aliquod ipsi amant illos ad quos [] et perducuntur ad illud ut quia homines naturaliter desiderant scire ipsi amant illos qui faciunt eos scire ut patet experientiam et minor apparet nam secundum Aristotelem in 10 Ethicorum uidetur autem natura maxime appetenter delectabile fugere aut triste, quare etc. Que autem et consimilia sint illa que licita sint et congrua ad deridendum propter delectationem assistentiuem per experientiam potest sciri Nam talia diuersificantur secundum diuersas condiciones assistentiuum et illos qui deridentur et forte in poetria considerabuntur Secundo modo non est amabilis qui est idoneus ad deridendum quia talis est contumeliosus et motius litigiorum, quare etc. Ex hoc ad argumentum bene enim probat quod iste qui deridet alterum causa dehonerationis et contempnendo ipsum sine delectatione assistente non est amabile in quantum huiusmodi et sic concessum est sed alio modo nullum est inconueniens Qualiter autem potest distinguere derisio hic ab illo non est difficile uidere per gestus et condiciones deridentes et hoc experientie relinquatur

#JAND[2 8

et NON FICTOS AD SE IPSOS Queretur utrum homines qui dicunt mala sua aliis sint amabiles Arguitur quod non, quia qui dicit mala alteri non est amabilis cum hoc sit signum detractiois sed qui dicit mala sua multo fortius diceret mala aliorum ut manifestum est, quare etc.

Oppositum uidetur uelle Aristoteles

Dicit enim quod homines diligunt illos qui non sunt ficti ad se ipsos tales autem et qui sua mala dicunt Notandum quod quidam sunt homines parui dicere aliis omnia secreta sua et bona et mala Alii uero neque sunt homines amicissimis sua secreta reuelant et hoc pulchre dicit Seneca primo libro Epistularum epistula 3 "Quidam que tantum amicis committenda sunt obuiis narrant et in quaslibet aures quidquid illos urit exponant Quidam etiam carissimorum causa scientiam reformidant utrumque uitium est et ab omnibus credere et nulli" et uidetur esse dicendum quod tales homines non sint amabiles neque amandi qui sic publice dicunt mala sua quia ille qui est fictus amicus ad se ipse est fictus ad amicum cum amicibilia que sunt ad alterum sicut secundum amicibilia que sunt ad se ipsum Ethicorum Sed tales homines qui mala sua dicunt aliis sint ficti ad se ipsos nocent enim sibi ipsis et dehonorent se ipsos cum deberent sibi ipsis prodesse et suum honorem diligere et conseruare iuxta illud Aristotelis "Crudelis est qui famem suam negligit", quare etc. Utrum autem unus uerorum amicorum debeat dicere mala sua aut omnia celare in amicissimo uidetur respondere Seneca ubi dicit "Si aliquem amicum existimas cui non tantum credas uehementer erras et non satis nosti ueracis amicitie regulam" et aliquibus interpositis dicit "quia interuenit consuetudo quedam que arcana fecit cum amico tuo omnes curas tuas omnesque cogitationes misce" et ibidem "Tam audacter cum amico loquere quantum tecum" et forte enim sint intelligenda hic de bonis amicis scilicet quod omnia debet reuelari amico suo et similiter omnia mala sua que non sunt contraria bonis moribus ut egritudines infortuna et huiusmodi Sed si unus amicorum confecerit aliquod ualde

inhonestum propter aliquam passionem quod nullus sciat nisi ipse utpote homicidium uel furtum uel fornicationem uel aliquod huiusmodi non est de respecta ueracis amicitie quod illud dicat amico suo quia ex hoc si amicus ille esset bonus et uirtuosus diminueretur amicitiam et in nullo prodesset amico nec sibi ipsi nec amicum delectaret

Ad auctoritatem Aristotelis dicendum quod sic debet exponi sicut exponit etiam Expositor homines diligunt illos qui non sunt ficti ad se ipsos Tales autem ficti ad se ipsos sunt qui dicunt mala sua aliis et sic non habetur quod tales sint amandi immo magis contrarium Sed queras qui ergo sunt qui non sunt ficti ad se ipsos? Credo quod Aristoteles intellexit illos non esse fictos ad se ipsos qui non dicunt de se ipsos maiora quam sint tamquam iactatores nec negant sibi inesse bona que insunt eis et isti proprie sunt ueraces de quibus satis agit in 4 Ethicorum Non tamen pertinet ad ueracem quod dicunt mala que sibi insunt quia "crudelis est qui famam suam negligit" Talis autem negligit famam suam qui propalat mala sua

#JAND[2 9

CONSEQUENTER QUERATUR utrum odium sit ad genera

Arguitur quod non, quia quorum non est sensus eorum non est odium Sed generum uel ad genera non est sensus, quare etc. Maior patet quia odium est quedam passio Passio autem est motus appetitus sensitiui ut prius dictum est Modo appetitus sensitiuus mouetur assensu secundum actum 3 De Anima quorum ergo uel ad que non est sensus illorum uel ad illa non est odium et minor est manifesta in 2 et 3 De Anima et primo Posteriorum nam sensus est singularium et non uniuersalium quia in hoc differunt ab intellectu genera autem sicut quedam uniuersalia ut patet in Porphyrio et 7 Metaphisice, quare etc. Oppositum dicit Aristoteles in littera sic "Odium autem <est> ad genera furem enim odit et calumniatorem unusquisque" Notandum quod "odium esse ad genera" potest intellegi duobus modis Uno modo secundum abstractionem ita scilicet quod malum odibile in quocumque existat facit odium in quocumque cognoscente ipsum Primo quidem modo ipsum odium non est ad genera quia quocumque modo odium est actus oportet quod isto modo ipsius sit sensus ut patuit in ardo Sed sensus non est comprehensiuus generum secundum rationem uniuersalem seu abstractum ut manifestum est in [] De Anima, quare etc. Secundo modo ipsum odium bene est ad genera scilicet secundum indifferentiam ita quod malum odibile in quocumque reperiatur indifferenter causat odium in quocumque indifferenter cognoscente ipsum Uerbi gratia Ego non solum odio furem qui furatus est inter pecuniam meam sed qui furatus est alteri cuicumque et quicumque sit iste fur Hoc est manifestum cuicumque per experientiam propter quod probatione non eget et in hoc odium differt ab ira Nam non quilibet irascitur ad paruipendentem ipsum et aliquem amicum suum Uerbi gratia Si ego uideo quod aliquis facit iniuriam alicui quem non diligo et qui nec mihi attinet nec amicis meis non propter hoc irascor quia non appeto uindicare istam iniustitiam Immo forte placet mihi quod sic fiat Sic ergo diceretur quod odium est ad genera non quidem secundum abstractionem sed secundum indifferentiam quandam modo predicto Ira uero magis est ad [] modo predicto Si autem dicatur quod odium est ad genera secundum abstractionem non bene uideo quomodo esset passio seu motus appetitus sensitiui Sed forte esset quedam affectio uoluntatis que est appetitus intellectualis consequens apprehensionem secundum intellectum ut accipiatur ex 2 De Anima Ex hiis patet responsio ad argumentum

#JAND[2 10

QUALIA AUTEM TIMENT Queratur hic utrum homines timeant mortem

Arguitur quod sic, quia homines timeant illud quod est ultimum terribilium Cum enim homines timeant terribilia magis timent magis terribilia et maxime timent maxime terribilia Sed mors est ultimum terribilium 3 Ethicorum

Item, uidemus homines fugere de bello quod non esset nisi timerent mortem

Oppositum dicit Aristoteles

Hic dicendum est breuiter quod homines bene dispositi et ut in pluribus non timent mortem nisi raro quia homines non timent nisi mala propinqua aut que reputant propinqua ut manifestum est ad sensum Sed homines bene dispositi non putant mortem suam esse propinquam nisi forte raro, quare etc. et dico "homines bene dispositi" quia infirmi in quibus deficit iudicium rationis interdum reputant mortem suam propinquam et multum timent eam et dico "nisi raro" quia interdum homo sanus forti uerisimilitudine uidet sibi imminere mortem sicut cum aliquis captus in bello cum multis aliis uidet eos decaptari et non apparet ei aliqua ratio/?/ quare debeat euadere plus quam alii Immo forte minus quia uidet quod ante sint maiores et potentiores et tunc non est remotum quando satis timeat interius licet forte non ostendat suam timorem per actus exteriores quia scit quod nihil prodesset ei sicut nec aliis quos uidet interfici Ad argumentum potest dici quod homines timent maximum terribilium quando sciunt uel opinant ipsum esse propinquum et aliter non curant precipue quia sciunt quod non sunt omnino illud euadere Unde Seneca dicit in Prouerbiis suis "Stultum est timere quod uitari non potest" et in De Remedia Fortuitorum dicit idem

#JAND[2 11

QUALIA AUTEM ERUBESCUNT Queritur utrum laudare presentem sit uerecundum

Arguitur quod non, quia sic faciunt omnes doctores sub quibus alii incipiunt [] quod non facerent si esset turpe et uerecundum uel saltem facere non deberent quod est improbable cum contrarium uideatur pluribus et sapientibus et maxime notis Oppositum dicit Aristoteles in littera Quod aliquem alium laudare presentem est propter multas causas Primo propter utilitatem reportandam ab ipso Secundo ut placeat ei solum et ipsum delectet Tertio propter persuasionem assistentem ut inducatur ad opera uirtuosa Item, ille qui prius est intendenti ipsum laudare aut est bene dispositus ad bonum uirtutis et non promptus ad superbiam et elationem aut est pronus ad superbiam et elationem Item, laudare aliquem in sua presentia contingit dupliciter Uno modo moderate Alio modo extensiuie Tunc dico quod laudare aliquem extensiuie in sui presentia propter utilitatem accipiendam est uerecundum precipue si ille qui sic laudatur est pronus ad superbiam et elationem quia omne quod est contra rectam rationem est turpe et inhonestum et per consequens uerecundum idest uerecundie factuum ut patet in littera Sed sic laudare aliquem est contra rectam rationem nam "mendacium est per se prauum et fugiendum" /4 Ethicorum/ "Ratio autem semper recte et ad optinenda deprecatur" /1 Ethicorum/ et de tali laudatione intellegit Aristoteles hic cum dicit LAUDARE AUTEM PRESENTEM UEL ADULATIONIS est et Seneca dicit in De Copia Uerborum quod similiter reprehensi sic est nimia laudatio sicut immoderanta uituperatio Illa siquidem adulatione est ita uero malignite suspecta

Secundo dicendum quod laudare aliquem presentem moderate et propter persuasionem assistentem ut scilicet inducatur ad bona opera pro quibus ille laudatur non est uerecundum precipue si ille qui laudatur non sit pronus ad superbiam ita quod propter huiusmodi laudam non superbiat et reputet se meliorem quam sit nec uelit alios despiciere quod faciliter pertinet Nam illud non est uerecundum quod non inducit timorem in ingloriationis seu confusionis Cum uerecundia nihil aliud sit nisi quedam tristitia et conturbatio circumstantie que uidentur inferre ingloriationem malorum aut presentium aut factorum aut futurorum ut Aristoteles dicit hic Sed laudare aliquem ut positum/positum est non inducat huiusmodi tristitiam nec conturbationem ut patet per experientiam apud illos qui sic laudant presentem, quare etc. Si autem ille qui deberet laudari sit multum pronus et paratus ad superbiam et elationem forte non debet laudari in sua presentia si etiam eius laudatione in sua presentia contingat magis malum quam bonum Si uero ex eius laudatione in sui presentia contingat magis bonum scilicet persuasio multorum et obseruatio consuetudinis approbate et huiusmodi tunc licitum est ipsum laudare presentem precipue quia secundum Aristotelem in 2 Politice Lex nullum robur habet preter consuetudinem Unde transgredi consuetudinem est debilitatem legis uigorem Utrum autem liceat aliquem laudari in sui presentia propter delectationem eius siue aliqua utilitate sperata forte dicendum quod sic in aliquibus scilicet ubi talis delectatio inducta ex laude multum prodesset ipso laudato et nullo modo noceret nec ipsum peioraret Sicut si medicus cognosceret infirmum libenter

audire laudes suas et propter hoc non prohiberet ut efferretur et delectatio illa ipso proficeret ad sanitatem et diminutionem tristitiae tunc secundum bonos mores liceret ipsum laudare et hoc quasi manifestum est per se Ad argumentum patet ex dictis Debemus enim supponere quod doctores qui laudant baccalarios presentes laudant eos cum moderantem rationis et ad finem bonum scilicet ut assistentes inducantur ad opera uirtuosa ex appetitu talis honoris que illi pro suis bonis operibus exhibetur et hoc precipue habet locum coram iuuenibus bene dispositis quia tales sunt induci per sermones honestos ad uirtutem secundum doctrinam Aristotelis ubi dicit sic Nunc autem prouocare [] et mouere iuuenum liberales posse sermones quia uero homines ut in pluribus appetenter bona utilia bona autem honesta pauci appetenter et modicum de eis appetenter secundum illud Aristotelis in primo Politice Honoris et diuitiarum appetitum in infinitum generat uirtutis autem et scientie quandocumque modicum sufficere putant ideo dicit ipse hic [] quod laudare presentem adulationis est

#JAND[2 12

SENES AUTEM Potest hic queri utrum senes sint acute ire

Arguitur quod non, <quia> illi qui sunt frigidi non sunt acute ire cum ira sit quedam supercalefactio uel accensio sanguinis circa cor secundum Aristotelem in prohemio De Anima Sed senes sunt frigidi ut dicitur in De Iuuentute et Senectute et in De Problematibus, quare etc.

Oppositum dicit Aristoteles in isto capitulo

Considerandum quod cum aliquid corpus quod naturaliter est frigidum calefit ab aliquo magis fit calide quam equale corpus prius existens minus calidum si reducatur ad caliditatem Uerbi gratia una portio aque si calefiat ab igne sensibiliorem habet caliditatem quam equale eris si ab equale igne calefiat et hoc uidetur quia ad sensum manifestum est et habetur ex libro De Problematibus particula 3 problemate primo Unde cum in senibus sunt humores frigidi respectu iuuenum precipue in eadem complexionem ut senex sanguineus frigidiores habet humores quam iuuenis sanguineus Similiter autem et in aliis Rationale uidetur quod cum ipse senex calefit in suis humoribus fortius calefit quam iuuenis ceteris paribus Ex hoc ad conclusionem dico quod senes cum irascuntur acute irascuntur cuius ratio est quia illi qui fortiter calefiunt circa cor acute irascuntur sed senes sunt huiusmodi, quare etc. Maior patet quia talis calefactio sanguinis circa cor est dispositio ad iram Unde ista dicitur esse dispositio naturalis ire Calefactio sanguinis circa cor ut satis patet ex prohemio De Anima, quare etc. Ad argumentum enim dicitur illi qui sunt frigidiores est quamdiu remanent frigidi et precipue circa cor sed cum sunt calefacti circa cor bene irascuntur intense et sic est in proposito Forte tamen uerum est quod ipsi senes non cito irascuntur nec proleui causa rationis frigiditatis sed cum irascuntur intense et acute irascuntur quia non nisi fortis causa monet eos ad iram et ideo etiam sunt humiliatos et pusillanimes secundum Aristotelem in littera

#JAND[2 13

DE HIIS AUTEM QUE A FORTUNA Queretur utrum nobiles sunt amatiui honores

Arguitur quod non, quia qui sunt amatores uirtutis non sunt amatores honoris cum honor sit premium uirtutis /4 Ethicorum/ Sed nobiles non sunt amatores uirtutis cum uideamus ipsos raptos et uoluptuosos et probos, quare etc.

Oppositum dicit hic Aristoteles in littera

Dicit enim "Nobilitas quidem igitur mos est magis amatorem honoris esse eum qui habet ipsam" Est intellegendum quod sic patet ex primo Politice nobilitas et libertas differunt Nam nobilitas uere et proprie est fortis inclinatio ad uirtutem quam habet homo a progenitoribus suis et illi progenitores ab aliis et illi a posterioribus et sic procedendo in multis et quanto in pluribus proceditur tanto dicitur esse maior nobilitas uel ingenuitas Sed libertas est inclinatio ad uirtutem undecumque proueniat siue a progenitoribus siue non Non est enim remotum quod qui naturaliter est seruus generat filium qui habeat inclinationem ad uirtutem licet non frequenter accidat et talis quamuis est procreatus a seruo non naturaliter est seruus ut habet

uideri in primo Politice Considerandum est etiam quod licet aliquis a senibus suorum progenitorum habeat fortem inclinationem ad uirtutem contingit tamen ipsum non fuisse uirtuosum propter malam nutritionem et assuefactionem in malis operibus Non enim parum differt a iuene sic uel sic assuefieri sed multum ut dicit Aristoteles in 2 Ethicorum

Tunc dicendum breuiter quod ueri nobiles sunt amatores honoris quia sunt amatores uirtutis Aliter enim non sunt nobiles nisi euocatione Ad argumentum conceditur maior et cum dicitur quod nobiles non sunt amatores uirtutis dico quod immo in quantum sunt nobiles Si autem contingit ipsos esse amatores uirtutum hoc non contingit eis in quantum sunt nobiles sed per malam nutritionem et assuefactionem et defectum directionis et doctrine et si filii uerorum nobilium bene disciplinarentur multum nobiliores essent et in pluribus quam filii non nobilium Propter quod magnum malum est et magnum detrimentum Rei Publice cum filii nobilium et precipue regum uel imperatoris male nutriuntur et male disciplinantur Ipsi enim efficiuntur ualde mali quia habent potentiam malefaciendi et putant omnia sibi licere

#JAND[2 14

HIS AUTEM DetERMINATIS Potest hic queri utrum aliquis uolens et potens aliquid malefacere nullo existente impedimento necessario faciat illud aut possit illud non facere omnino

Arguitur quod non necessario faciat illud, quia si ita esset uoluntas non esset libera quod est absurdum et contra Aristotelem in 3 Ethicorum et consequentia patet quia NECESSITAS REPUGNAT LIBERTATI ut patet ex 3 Ethicorum Unde animalia bruta que necessario agunt ea que agunt non habent libertatem suorum actuum ut patet ibidem et omnes concedunt, quare etc.

Oppositum uidetur uelle Aristoteles in littera

Dico breuiter quod uolens aliquid facere et potens aliquid facere quantum est ex se et nullo impedimento extrinseco existente necessario facit illud pro illo tempore quo sic <se> habet res ut si ego uolo scribere et possum et nihil extrinsecum prohibet neccessario oportet me scribere quia posita causa per se et immediate necessario est consequi effectum Hac est per se nota ut habetur ex 4 Phisicorum Sed uoluntas actu uolens facere aliquid cum potentia faciendi illud et remoto impedimento est causa per se propinqua et immediata non prohibita illius effectus Cuius signum est si queratur de aliquo opere humano quare homo facit illud quia uult et potest facere illud et non est impeditus aliquo impedimento et si ista causa non respondeatur que alia respondebitur non uideo, quare etc.

Item, ponamus quod aliquis uelit aliquid facere et possit et nullum sit impedimentum Si dicas quod pro illo tempore possit non facere ponamus ergo quod non faciat illud pro illo tempore nullum debet sequi impossibile et rursus ponamus quod illud faciat illo tempore nullum debet sequi impossibile Sed sequitur ex istis quod simul fiat et non fiat ergo non est impossibile quod simul fiat et non fiat quod est absurdum quia hoc est contra primam dignitatem Sed diceres quod ex nullo eorum seorsum sequitur impossibile Ex hoc enim quod uult facere et potest et non est impedimentum si hoc ponatur in esse quod illud fiat etiam hoc non est impossibile et ex hoc quod potest non facere si ponatur in esse sequitur quod non fiat et hoc similiter est possibile et sic ex nullo eorum seorsum et diuisim sequitur impossibile Ex hoc arguo contra te Eo modo aliquid est impossibile quo ex ipso sequitur impossibile Sed si ista duo ponerentur simul in esse scilicet quod aliquid faceret et non faceret unum et idem sequitur impossibile scilicet quod illud idem fieret simul et non fieret ergo istud est impossibile quod aliquid possit facere aliquem effectum pro aliquo tempore et simul possit illum non facere pro illo tempore Itaque hec duo sunt impossibilia scilicet quod aliquis possit aliquid facere pro aliquo tempore et possit illud idem non facere pro illo tempore Hoc enim sequitur si uolens aliquid facere et potens aliquid facere non existente aliquo impedimento numquam faceret illud ut manifestum est cuilibet intellegenti quare etc Ad argumentum potest dici prout aliqui dicunt quod libertas uoluntatis non attenditur ex habitudine ad actum exteriorem eo uidelicet quod homo possit aliquid uelle facere et posse non existente impedimento sed tamen possit illud non facere sed per comparisonem ad actum interiorem intellectus scilicet ex eo quod uoluntas potest non uelle illud quod

meditatam est ab intellectu tamquam bonum pro illo tunc pro quo ab intellectu iudicatum est
 Imaginantur ergo isti quod cum intellectus iudicat aliquid inordinatum in fine esse bonum omnibus
 circumstantiis consideratis et non uidet aliquid melius ad consequendum finem tamen uoluntas stante illo
 iudicio intellectus pro illo tunc potest non uelle illud bonum et potest etiam uelle illud et in hoc consistit
 eius libertas et aliter non posset saluari ut dicunt et si dicatur istis "Agente propinquato passo necessario fit
 actio si hoc sit in dispositione in qua natum est agere et hoc sit in dispositione in qua natum est pati modo
 ipsum bonum cognitum ab intellectu est agens propinquatum uoluntati et utrumque est sufficienter
 dispositum, quare etc." Dicunt hic quod falsum est ipsum bonum cognitum esse actuum ipsius uolitionis
 Immo ipsamet uoluntas est principium actuum sui ipsius presente tamen obiecto scilicet bono intellectu et
 ipsum obiectum est solum illud sine quo non et si arguatur istis quod secundum hoc unum et idem et
 secundum idem et simul erit actuum et passuum et agens et patiens respectu eiusdem dicunt quod hoc
 non est inconueniens diuersimode est enim actuum uirtualiter et agens et est patiens formaliter et hoc non
 includit contradictionem Bene tamen est impossibile quod unum et idem et secundum idem simul respectu
 eiusdem sit actuum et agens formaliter et passuum uel patiens formaliter quia sic esset eodem modo
 agens et patiens et si queratur ab ipsis quid ipsi uocent agens formaliter et agens uirtualiter forte dicerent
 quod agens formaliter est illud quod habet in se formam eiusdem speciei cum forma quam producit ut ignis
 est calefaciens formaliter quia habet in se caliditatem eiusdem speciei cum illa quam producit Sed agens
 uirtualiter est illud quod non agit per aliquem actum uel formam et eiusdem speciei forma uel actu quem
 producit ut sol est agens uirtualiter respectu caliditatis Similiter autem et in aliis Potest itaque secundum
 istos aliquid unum et idem simul esse in potentia formali et in actu uirtuali sed non potest esse simul in actu
 formali et in potentia formali quia hoc implicat contradictionem Nam eo quod posset in potentia formali
 dico remota ab actu careret illo actu secundum totam eius speciem et eo quod esset in actu formali iam
 haberet in se actu illam formam uel actum et sic haberet et non haberet actum simul et secundum idem et
 eodem modo Si uero sit in potentia formali et in potentia ad hoc quod formaliter perficiatur tali actu uirtuali
 hoc est quod habeat uirtutem productiuam talis actus uel sit uirtus productiua talis actus immediate diuersa
 tamen secundum speciem ab illo actu non sequitur quod simul habeat in se illum actum et non habeat et
 patet intellegenti Sed dubitatur contra hoc quia unum et idem et secundum idem et simul non potest
 habere aliquid modo nobiliori et eminentiori et modo minus nobili Hoc autem sequeretur ex dictis Nam
 habere aliquid uirtualiter est habere illud nobiliori modo quam habere illud formaliter ut sol nobiliori modo
 habet caliditatem quam ista inferiora Diceretur quod ubi habetur aliquid uirtualiter et non ordinatur ad
 habendum illud formaliter bene est nobilior sed ubi ordinatur ad hoc non est nobilior et sic est hic Contra in
 ipsa uoluntate habere actum suum uirtualiter et habere actum suum formaliter aut sunt eque nobiles et
 perfecti modi habendi aut unus est simpliciter nobilior alio Si primo modo sequitur quod isti modi habendi
 sunt eiusdem speciei specialissime quia da oppositum necesse est quod unus esset perfectior alio sed hoc
 est ualde absurdum quod unum et idem secundum idem sui haberet simul aliquid duobus modis habendi
 eiusdem speciei specialissime precipue quia numquam duo accidentia eiusdem speciei specialissime
 naturaliter inexistunt uni et eidem subiecto siue sint respectiua siue absoluta Sed forte duo talia accidentia
 aduenticia possunt simul in esse uni subiecto ut due paternitates Si autem dicatur quod unus istorum
 modorum habendi est simpliciter nobilior et perfectior alio redit inconueniens quod scilicet unum et idem
 simul et secundum idem habet aliquid modo nobiliori et perfectiori et modo minus perfecto et minus nobili
 quod est absurdum < SE PADOUA > Sed dices quod licet agens et patiens sint ibi unum et idem secundum
 substantiam tamen differunt secundum modum quia est agens uirtualiter et patiens formaliter et sic
 distinguitur ibi actio et passio Nam dicitur actio in habitudine ad uoluntatem prout est uirtualiter talis et
 dicitur passio in habitudine ad uoluntatem prout est nata informari huiusmodi actu et tunc redit <idem>
 argumentum quod prius qualiter unum et idem secundum idem sui habet aliquid nobiliori modo et minus
 nobili et ad hoc forte dicent quod isti duo modi habendi licet sint diuersi secundum magis perfectum et
 minus perfectum tamen sint eiusdem speciei specialissime sicut albedo intensior et minus intensa nec est

inconueniens talia duo accidentia eiusdem speciei simul in esse uni et eidem subiecto naturaliter sicut cum ignis sit calidissimus habet in se caliditatem minus perfectam et caliditatem perfectiorem que fuerunt successiue generate in materia ex qua generabatur ignis et sicut non potuisset habere caliditatem perfectiorem nisi prefuisset caliditas minus perfecta sic non potest uoluntas habere actum suum formaliter nisi prefuisset ipse uirtualiter eo quod nihil aliud inuenitur quod possit immediate efficere actum uoluntatis in ipsa precipue quia non est nisi potentia accidentali ad suum actum et ideo non indiget motore extrinseco per se ut patet ex 6 Phisicorum et sicut caliditas prius inducta remanet adueniente caliditate perfectiori et posteriori sic uterque istorum modorum habendi potest existere simul ipsi uoluntati Uel si dicas quod caliditas prior non remaneret adueniente posteriori ponatur exemplum in augmentatione ubi quantitas prior remanet adueniente posteriori ut habet uideri in primo De Generatione et sic sustineretur illa opinio que dicit uoluntatem efficere suum actum in se ipso presente obiecto Sed adhuc remanet dubium quia cum obiectum cognitum est prius uoluntati et ipsa uoluntas est sufficienter disposita ad actum suum agendum et recipiendum ipsum et nullum est impedimentum quomodo est quod ipsa potest non uelle pro illo tunc? Agente enim appropinquato utroque sufficienter disposito impossibile uidetur esse non sequi actionem Modo constat quod obiecto uoluntatis presente ipsi uoluntati ipsa etiam uoluntas est sibi ipsi sufficienter presens uel non distans a se ipsa ut manifestum est, quare etc. et sic isti uidentur incidere in illud quod putant euitare Forte responderetur hic quod ista propositio de agente habet ueritatem de illis que non agunt libere et patiuntur sed de illis que agunt libere non est uera et sic agunt hominum uoluntates Sed [] istud implicat contradictionem Constat enim quod obiecto presentato uoluntati ipsa pro illo tunc potest uelle illud obiectum Si ergo pro illo tunc potest non uelle sequitur quod ipsa simul potest uelle et non uelle componendo le "simul" cum "uelle et non uelle" et sic contingit unum et idem secundum actum uoluntatis simul in esse et non in esse eidem secundum idem ad idem similiter et in eodem tempore quod est contra primam dignitatem et multum miror quod nec isti nec eorum aduersarii uiderunt istam contradictionem sed ad alia diuerterunt + et huiusmodi opinionis remotionem+ Si quis ergo uelit tenere illam opinionem quod uoluntas est actiua sui actus et non suum obiectum non conatur ad hoc ex eo quod sequeretur necessario uoluntatem uelle illud obiectum presentatum per intellectum nam ita ineuitabiliter hoc sequitur si ipsa ponatur actum suum efficere in se ipsa presente obiecto ut patet ex dictis Utrum autem aliqua ratio concludat quod ipsa uoluntas sit principium sui actus et non aliquod extrinsecum propinquum quod possit huiusmodi esse principium eo quod ipsa non est nisi in potentia accedentali ad suum actum uel quia sequitur ipsum obiectum esse nobilius uoluntate ex eo quod agens est nobilius patiente 3 De Anima discutiendum est super 3 Ethicorum et si quis uellet tenere aliam uiam scilicet quod libertas uoluntatis potest stare cum hoc quod ipsa necessario uelit bonum presentatum sibi per intellectum dicendum esset quod duplex esset necessitas scilicet necessitas uiolentie seu coactionis et hec non stat cum libertate Alia est necessitas immutabilitatis et hec non repugnat libertati uoluntatis Item, necessitas absolute repugnat [] libertati/?/ humane Sed necessitas condicionata uel ex sponsione/?/ non repugnat ei Modo quamuis uoluntati offeratur aliquid tamquam bonum per intellectum tamen ipsa non uult necessitate absoluta sed necessitate condicionata scilicet pro illo tempore in quo intellectus ei presentat huiusmodi bonum Potest tamen illud non uelle in alio tempore scilicet quia intellectus potest iudicare illud non esse bonum Quamuis autem hec necessitas non repugnat libertati non tamen sufficit ad libertatem quia sic appetitus brutorum esset liber cum posset non uelle bonum quod sibi presentatur per estimatiuam uirtutem Sed requiritur ad libertatem quod ipse intellectus possit ratiocinari de bono quod presentat uoluntati inquirendo an illud sit bonum simpliciter aut aliud sit melius eo et huiusmodi et hoc non facit brutum Non enim de duobus bonis ordinatis ad unum finem inquit quod illorum sit melius per ratiocinationem practicam sumptam a fine ut satis habetur in 3 De Anima nec puto esse inconueniens quod libertas hominis et dominium super suos actus principalius debeatur homini per intellectum quam per uoluntatem supposito secundum communem doctrinam quod intellectus et uoluntas sint diuerse uirtutes anime de quo tamen bene posset dubitari sed magis habet locum super 3 De Anima

#JAND[2 15

DE ENTHIMEMATIBUS AUTEM Queretur hic utrum homines ineruditi sint magis persuasivi quam eruditi Uidetur quod non, quia tunc frustra ageretur ars persuadendi cum ipsa ordinetur ad persuadendum Item, ille qui cognoscit communia et propria est magis persuasivus quam qui cognoscit solum communia et ignoscat propria Modo eruditus cognoscit propria communia et specialia aliter enim non esset eruditus Ineruditus autem solum cognoscit communia et ignoscat propria, quare etc.

Item, ille qui magis est modestus magis est credibilis quia modestis magis credimus ut dictum est primo huius et eruditus magis est modestus cum impossibile sit prudentem esse non existentem bonum /6 Ethicorum/

Oppositum dicit Aristoteles hic

Intellegendum quod ineruditus uocatur hic ille qui non acquisiuit artem persuadendi ab aliquo doctore nec cognoscit speciales et proprias rationes et causas uirtutum et uitiorum utpote rectem rationem aut uoluntatis libertatem et huiusmodi talia que docentur in morali philosophiam Sed eruditus uocetur qui acquisiuit ab aliquo doctore artem per rationes et principia et cognoscit subtiliter rationes proprias uirtutum et uitiorum Est etiam cognoscendum quod mouetur hominum Quidem sunt rudes et grossi parum uigentes intellectu rationeque sed fantasia Alii uero sunt subtiles et uigentes intellectu et ratione Tunc dicendum quod aliqui ineruditi sunt magis persuasivi hominum rudium et popularium quam eruditi in quantum sunt eruditi et hoc potest probari duabus rationibus quas inuenit Aristoteles in littera Primo sic illi qui magis delectant homines populares magis persuasivi sunt eorum sed aliqui ineruditi magis delectant homines populares, quare etc. Maior patet quia homines facilliter credunt illis qui delectant eos Credunt enim ea que ipsi dicunt eis esse bona sic etiam uerba eorum sunt eis bona scilicet delectabilia et minor apparet Nam aliqui homines ineruditi scilicet qui non nouerunt subtiliter rationes uirtutum et uitiorum non sciunt se profundare in sententiis nituntur ut demulceant auditum per pulchra uerba et [] et consonantia et per risibilia et huiusmodi Unde recolo me uidisse quendam predicatorem qui erat multum rudis et grossus qui dicebat in sermonibus suis tot risibilia et solacia iocosa quod iuuenes semper uoluissent ipsum audire et non minus quidam etate senes et multum faciebat eos sibi credere

Item, illi qui proponunt popularibus sententias quas cognoscunt et quibus magis acquiescunt magis sunt persuasivi eorum sed aliqui ineruditi sunt huiusmodi Sunt enim aliqui ineruditi qui numquam audierunt rhetoricam nec moralem philosophiam qui sunt multum experti in actibus hominum et cognoscunt particulares affectiones ipsorum per opera sua et cum uolunt eis persuadere proponunt eis sententias ad quas sciunt eos esse inclinatos et tunc creditur eis quasi de omnibus que ipsi dicunt et hoc sentit Aristoteles in littera in capitulo presente ubi docet quomodo sententie alique sit credende in ista parte HABENT AUTEM AD ORATIONES AUXILIUM MAGNUM, quare etc. et uide istam partem quia pulchra est Econtraria autem de eruditis hominibus Nam cum eruditi in quantum huiusmodi non proponant nisi illa in quibus sunt eruditi et ipsi sunt eruditi in occultis et dubiis quia per se nota non indignent eruditione ideo non proponunt ut populum nisi aliqua subtilia et aliquantulum occulta ad quorum notitiam intellectus popularium non bene attingunt Unde uidi quendam optimum philosophum moralem quem iuuenes cum predicabat non uoluerunt audire sed protinus recedebant dicentes ipsum nihil dicere de bono Uerum tamen huiusmodi homines magis proficiunt apud uiros subtiles et ratione utentes qui ea que sibi proponuntur uolunt sufficiti ratione fulciri

Ad primum argumentum dicendum quod non erit frustra quia non queritur ducem ad persuadendum popularibus et omnino rudibus sed melioribus et sapientibus Rursus non solum queritur ad persuadendum sed ad cognoscendum rationem et causam persuadendi et sic non queritur frustra quia quamuis aliqui ineruditi persuadent magis efficienter aliquibus quam eruditi sic aliqui experti magis proficiunt quam habentes artem tantum experientia ut patet in prohemia Metaphisice tamen nesciunt rationem uel causam quare melius persuadent et hoc scitur per artem

Ad aliud dicendum quod licet ineruditibus non cognoscit specialia que docentur in scientia tantum ipse cognoscit singulares affectiones hominum popularium et hoc bene ualet ad persuadendum ut predictum est

#JAND[2 16

#JAND[2 17

Ex quibus autem oportet et de hiis et de aliis Queritur hic utrum pertineat considerare felicitate et arguitur quod non, quia quod pertinet ad monasticam et politicam non pertinet ad rethoricam cum iste sint scientie diuerse sed considerare felicitatem pertinet ad monasticam ut patet ex primo Ethicorum et ideo ad politicam ut patet ex 7 Politice, quare etc.

Oppositum patet per Aristotellem hic

Considerandum est quod felicitas quantum ad propositum spectat potest considerari dupliciter Primo modo prout ipsa est ultimus finis omnium operabilium humanorum Alio modo potest considerari in quantum per ipsam potest fieri exhortatio uel dehortatio Primo quidem modo non pertinet ad rethoricam quia sic pertinet ad monasticam philosophiam que considerat operabilia humana in habitudine ad ultimum finem ipsorum 2 modo pertinet ad rethoricam nam artifex qui docet modum exhortandi et dehortandi debet considerare principia siue media exhortandi et dehortandi sicut etiam artifex qui docet demonstrare docet medium demonstrandi ut patet in libro Posteriorum sed rethor docet modum exhortandi et dehortandi ut manifestum est Felicitas autem et eius partes sunt media quibus aliquid dehortatur et exhortatur Finis enim in agibilibus est sicut principium in speculationibus 2 Phisicorum ita quod sicut in speculabilibus per principia ostenditur aliquid esse uel non esse sic in agibilibus per finem ostenditur aliquid esse bonum uel malum Unde Aristoteles in 3 De Anima capitulo de mouente dicit "Cuius autem appetitus /scilicet finis ipse qui principaliter appetitur cum sit optimum/ hoc principium practici intellectus" in sequenti capitulo dicit "Utrum enim agendum sit hoc aut hoc iam rationis opus est et oportet uno mensurare /scilicet 'fine' ut supplent commentatores/ maius enim imitatur /id est medium quare" etc Per hoc ad argumentum bene probat quod ad rethoricam non pertinet considerare felicitatem prout est ultimus finis [] omnium operabilium humanorum quia sic pertinet ad moralem sed non probat quin possit aut debeat ipsum considerare prout est medium consultandi hortandi et dehortandi qui sunt actus negotii deliberatiui Uerbi gratia si quis uellet exhortari aliquem populum ut inciperet bellum contra alium populum posset uti una parte felicitatis uel pluribus ad probandum "hoc est bonum puta quia sine hoc non potest saluari honor ipsius populi uel sine hoc non possunt saluari diuitie eius" aut huiusmodi Similiter autem de aliis

#JAND[2 18

Consequenter potest queri utrum felicitas habeat partes

et arguitur quod non, quia nullum indiuisibile habet partes sed felicitas est quid indiuisibile quia felicitas est finis ut patet ex primo Ethicorum finis autem est terminus ut patet ex 2 Methafisice modo terminus est indiuisibilis quia si diuideretur procederetur in infinitum

Item, finis est ultimum sed ultimum est indiuisibile ut manifestum est, quare etc.

Oppositum uult Aristoteles in isto capitulo

Dicendum quod felicitas potest accipi dupliciter Uno modo pro illo quod essentialiter et principaliter est ipsa felicitas Alio modo pro omnibus bonis hominis que necessaria sunt ad complementum et ad decorem felicitatis

Tunc dico breuiter quod felicitas primo modo sumpta non habet partes quantitatuas Nam sicut intellectus cum sit uirnis separata a magnitudine ita saltem quod non diuiditur diuisione quantitatis sic illud quod existit in intellectu non habet huiusmodi partes quantitatuas sed felicitas hoc modo consistit in intellectu Nam talis felicitas est actus intellectus secundum nobilissimam uirtutem respectu excellentissimi obiecti ut

patet 1 Ethicorum et hoc precipue uerum est de felicitate speculatiua que est actus sapientie Felicitas autem politica est actus intellectus practici secundum nobilissimam uirtutem practicam scilicet secundum prudentiam, quare etc.

2 potest dici secundum communem doctrinam et huiusmodi felicitas non habet partes essentielles quia nullus accidens habet partes essentielles cum omnis actus sit forma et forma sit simplex in essentia ut patet in 7 Metaphisice et in autem Sex principiorum sed ipsa felicitas sic sumpta est quidam actus scilicet actus uel operatio secundum uirtutem perfectissimam etc Sed secundum rei ueritatem felicitas bene habet partes essentielles que sunt principia quiditatis scilicet genus et differentia [] stam/?/ omnis species generis habet huiusmodi partes ut patet ex 7 Metaphisice felicitas autem est quedam species puta actionis aut passionis aut qualitatis de quo ad presens non est discutiendum

3 potest dici quod ista felicitas non habet partes subiectiuas que sunt species uel genera quia sicut excellentissimi obiectum intellectus non est multa secundum species nec secundum genus immo est unum solum sicut ipse deus qui est totaliter optimum bonum omnium que in natura sunt ut patet ex 7 et 12 Metaphisice sic actus intellectus respectu huiusmodi obiecti non est plurificatus secundum species nec secundum genus

4 potest dici quod huiusmodi felicitas bene habet partes subiectiuas que sunt indifferentia/?/ Numeratur enim intellectio hominis secundum numerationem particularium hominum ut patet ex 3 De Anima et quamuis obiectum sit unum numero quia tamen fantasma per quod intelligitur est aliud et aliud in diuersis hominibus ideo alia et alia est intellectio De felicitate autem politica que sit excellentissimum obiectum eius cum ipsa sit actus prudentie bonum est dubium et forte obiectum eius excellentissimum est bonum commune totius politie ut habet alibi declarari

Ulterius dicendum est quod si sumatur felicitas 2 modo sic habet partes scilicet uirtutes intellectuales et morales et diuitias et honores et amicorum multitudinem et huiusmodi que enumerat Philosophus in littera quia omne totum habet partes aliquas sed felicitas hoc modo sumpta est quoddam totum Est enim status omnium bonorum aggregatione perfectus secundum Boethium De consolatione philosophie, quare etc. Sed quereretur aliquis cuius totum est ipsa felicitas taliter accepta? Non enim uidetur esse totum essentialia quia una pars totius essentialis non est forma alterius ut est manifestum uirtutes enim que sunt bona necessaria non sunt forma diuitiarum nec honorum nec alicuius bonorum exteriorum nec etiam econuerso ut manifestum, quare etc.

Item, non est totum quantitatum quia quelibet pars totius quantitatum est distincta ab alia parte loco et subiecto ut patet in domo et aliis huiusmodi sic autem non est hic Nam una uirtus moralis non est distincta ab alia secundum locum et subiectum ut manifestum est cum omnes sint in appetitu sensitiuo secundum communem doctrinam uel saltem plures et hee sunt partes felicitatis Nec uidetur esse totum uniuersale nec totum in modo cum non predicetur uere de illis partibus Non enim uerum est dicere quod diuitie sunt felicitas quia tunc omnes diues esset felix Similiter autem et de aliis partibus, quare etc.

Forte dicendum quod felicitas proprie non est totum aliquorum istorum modorum sed secundum similitudinem ita quod assimilatur toti essentiali eo quod una pars ipsius est nobilior et dignior alia Uirtutes enim anime sunt bona perfectiora et nobiliora bonis corporis quemadmodum anima est nobilior corpore ita quod sicut uniuersum est quoddam totum licet una pars eius sit forma omnium aliarum partium saltem inherens et dans esse quia cum una pars uniuersi habet rationem seu modum forme et alia materie pars enim nobilior uniuersi est ipsum eelum uel deus et pars minus nobilis est tota machina rerum generabilium et corruptibilium proportionabiliter est in proposito et sic felicitas prout dicitur statum omnium bonorum aggregatione perfectum est quoddam totum essentialia secundum quandam similitudinem et est hic considerandum quod licet felicitas simpliciter et primo modo dicta non habeat partes que sunt species et genera tamen in diuersis generibus operationum humanarum dicuntur esse felicitates plures specie differentes scilicet speculatiua et politica Nam sicut in ordine entium speculabilium scilicet que non sunt productibilia ab homine est unum nobilissimum quod est deus respectu cuius est felicitas simpliciter et

proprie dicta sic in ordine entium operabilium ab homine est unum optimum respectu cuius est felicitas politica Illa tamen felicitas ordinatur ad priorem sicut omnia alia entia ordinantur ad ipsum deum Unde felicitas practica non est simpliciter et primo felicitas sed solum respectu aliarum operationum quibus est melior uel respectu quarum ipsa est optimum Ad primum argumentum potest dici quod felicitas primo modo dicta bene est finis et ultimum et sic non habet partes ut predictum est sed felicitas 2 modo dicta non est solum et precipue finis nec optimum et ultimum Solum enim aggregatum est ex fine et eis que sunt ad finem, quare etc.

#JAND[3 1

QUONIAM AUTEM TRIA SUNT QUE OPORTET TRACTATA ESSE Circa istum tertium librum primo queratur utrum rhetor debeat uti ipocrisi seu ipocrisare

Arguitur quod non, quia quod pertinet ad poetam non pertinet ad rhetoricam cum rhetorica et poetica sint artes distincte Sed uti ipocrisi pertinet ad poetam ut dicit Aristoteles in littera et ut habetur ex Poetria eius, quare etc.

Item, rhetor non debet uti aliquo uitio seu peccato sed ipocrisis est quoddam uitium, quare etc. Maior patet quia omnis ars intendit aliquod bonum /primo Ethicorum/ et minor est manifesta Communiter enim dicitur quod ipocrisis est quoddam magnum peccatum sicut quidam uersificator dicit "Quiuis/?/ ipocrisita facietenus est heremita mente tamen tacita latet [] habens clithonita", quare etc.

Item, rhetor non debet uti nisi ratione rhetorica sicut dialecticus solum dialectica per conuenientem similitudinem Sed ipocrisis non est aliqua ratiocinatio rhetorica ut manifestum est per inductionem, quare etc.

Oppositum dicit Aristoteles in littera

Considerandum est hic quod cum uoces sint aliquantulum signa conceptuum anime iuxta illud Aristotelis in primo Perierminias "uoces sunt note earum passionum que sunt in anima" Non est [] quoniam diuersi modi proferendi seu exprimendi uocem exteriorem sunt signa diuersorum modorum conceptus interioris cuius manifestum signum est quod homo iratus dum est iratus aliter concipit quam dum est quietus sic multum aliter profert et exprimit uocem suam et similiter timens dum timet sicut aliter concipit quam non timens sic aliter uociferat quamuis eandem in specie formet uocem Similiter autem et in aliis huiusmodi et ulterius cum ex conceptionibus anime cognoscitiue oriantur affectiones seu affectiones appetitus sensitiui ut communiter dicitur /appetitus enim fit in actu a uirtute cognoscente bonum aut malum 3 De Anima et in De Motibus Animalium/ rationabile est quod alius et alius modus proferendi uocem exteriorem significat alium et alium modum affectionis seu desiderii interioris et cum unum proportionalium sit quodam modo signum alterius rationale est quod uox modeste et ordinate et le<n>te prolata significet modestiam et ordinationem et constantiam conceptus et affectus interioris Unde etiam Seneca dicit in 40 Epistula ad Lucilium quod philosophi "pronuntio sicut <et> uita debet esse compta" Ex hiis ad propositum Credo quod et Aristoteles per 'ipocrisim' hic intelligit modum pronuntiandi seu proferendi qui attestatur prudentie et modestie interiori uel etiam passioni et secundum hoc possumus dicere breuiter quod ad rhetorem pertinet uti ipocrisi aliquomodo Quod sic patet Rhetor debet uti illo modo proferendi per quem reddit se magis credibilem seu dignum quod ei credatur sed ipocrisis est huiusmodi, quare etc. Maior patet quia intentio ipsius oratoris seu rhetoris utentis est ut faciat auditorem credere que proponit ut manifestum est in illo libro et minor apparet quia sicut Aristoteles dicit in primo huius et in secundo modesto magis credimus Unde ille modus pronuntiandi per quem homo reputatur modestus et boni moris ualet ad hoc quod eius dictis fides adhibeatur et hoc frequenter possumus experire Uidemus enim quosdam homines proferre aliqua friuola et ualde superficialia et forte falsa qui tamen ita seriose discrete et morose ea proferunt et eis statim creditur et si unus alius diceret illa eadem non curaretur nec ei crederetur, quare etc. et notandum secundum doctrinam Aristotelis in littera quod istum modum proferendi qui dicitur ipocrisis aliqui habent quasi a natura ita quod ex sua natura indiuiduali inclinantur ad loquendum morose

discrete et pompose cum quoddam boatu et depressione uocis seu eleuatione ut decet et isti melius persuadent Alii uero accipiunt istum modum per consuetudinem et artem uel per imitationem aliorum quos audiunt si/sibi loqui/?/ et isti sunt minus efficaces ceteris paribus quia facilliter perpenditur quod ipsi aliter proferunt quam requirit sua naturalis complexio et ideo putatur quod isti sunt ficti et iactatores nec creditur eis Considerandum est etiam ulterius quod aliquando accipitur ipocrisis pro gestibus exterioribus et signis quibus homines nituntur se ostentare meliores quam sint Sicut uidemus aliquos ualde lente incedere non respiciendo ad dextram nunc ad sinistram sed sursum et deorsum frequenter Sed uniformiter humiliando se coram unoquoque et flectere genua frequenter coram uirginibus et percutere pectus et leuare manus tas ad celum et loqui summis et huiusmodi talia quibus multum uolunt putari boni et mansueti quam sint et sic non accipitur hic ipocrisis Potest etiam capi ipocrisis pro habitu inclinante ad talem ostentationem et sic non accipitur hic immo est uitium quoddam oppositum uirtuti que dicitur ueritas Per hanc ueritatem homo eligit et actus et gestus et sermones exteriores ostendere se talem qualis est interius uel non meliorem nec minus bonum quam sit et istud uitium multum audiui detestari a ratiocinantibus seu predicantibus Considerandum est insuper propter solutionem argumentorum quod licet poeta utatur ipocrisi tamen aliter quam orator Nam poeta solum utitur ea ad laudandum et uituperandum ut habetur ex Poetria Aristotelis Orator uero non solum utitur ea ad negotium exclamatiuum quod est ad laudationem uel uituperationem sed etiam ad aliqua negotia politica scilicet ad iudiciale uel deliberatiuum Uterque enim istorum uidelicet modus talis pronuntiandi reddit hominem fide dignum Primo hoc ad rationem potest dici quod non est inconueniens rhetorem et poetam uti ipocrisi <et> derisione ut iam dictum est Sed adhuc potest dubitari quomodo in negotio exclamatiuo derisione utuntur ipocrisi et forte dicendum quod maiori ipocrisi puta maiori boatu et exaltatione et magnificatione uocis utitur poeta quam orator Cuius ratio est quia instrumentum ipsius poete scilicet metaphora debilius est de se ad faciendum credere quam sit instrumentum rhetoris et ideo indiget magis fulciri modo loquendi et exprimendi mirabili et magnifico Unde uidemus prudentes predicatorum cum ipsi habent dicere aliqua parui ualoris et parum uerisimilia ipsi recuperant in boatu ornatu dilatando fimbrias et aristas et uidentur magna dicere cum nihil dicant interdum et hoc bene habetur in Poetria Aristotelis

Ad secundum argumentum patet ex dictis

Ad tertium dicendum quod rhetor principaliter bene debet uti ratiocinatione rhetorica et precipue enthymemate ut patuit in primo huius tamen potest uti quocumque modo pronuntiando per quem pretendit se esse bonum et ueracem ut ei magis credatur et est notandum quod secundum Tullium in sua Noua Rhetorica non solum rhetor debet uti competenti modo uociferandi sed etiam conuenientibus gestibus et motibus corporis et partium corporis scilicet capitis brachiorum sicut ipse pulchre docet ibidem sed gratia breuitatis relinquo

#JAND[3 2

et DetERMINetUR UIRTUS LOCUTIONIS Queratur hic utrum ad rhetorem pertinet uti metaphoris Arguitur quod non, quia quod pertinet ad poetam non pertinet ad rhetorem cum isti sint diuersi artifices Sed ad poetam pertinet uti metaphoris ut patet hic et in Poetria Aristotelis et in secundo Meterum ubi dicit quod metaphoris loqui est poeticum, quare etc.

Item, oratio rhetorica debet esse clara ut patet per Aristotelem in primo huius capituli Sed hoc non esset si esset metaphorica quia metaphorica semper extraneitatem aliquam dicit ut dicitur in littera, quare etc.

Item, rhetorica est assecutiua dialectice ut patet in primo sed dialecticus non utitur metaphora Immo est unum peccatum in dialecticis ut patet in primo Topicorum, quare etc.

Oppositum tamen uult Aristoteles in isto capitulo

Intellegendum quod ens naturale cum habet dispositionem suam naturalem melius potest in operationem suam propriam ut est manifestum per se <Nunc> autem delectatio est quedam naturalis dispositio hominis secundum doctrinam Aristotelis in septimo Ethicorum ubi dicit sic uidetur autem natura maxime appetere

delectabile fugere autem triste et ideo cum homo delectatur in aliquo melius potest in operationem suam propriam que est intellegere et ratiocinari et loquor de delectatione moderata non nimis uehementi seu intensa Talis autem delectatio nimis fortis precipue secundum tactum in Ueneriis magis impedit actus intellectus quam hominem iuuat ut habetur in septimo Ethicorum

Considerandum est etiam ulterius quod homo naturaliter in representationibus rerum ad inuicem delectantur ut manifestum est unicuique per experientiam Unde quamuis homo non multum delectetur in inspectare alicuius animalis utpote muris aut canis tamen multum delectatur in eius representatione ut si uideat murem aut canem optime pictum in pariete uel figuratum in ligno aut ere aut aliqua tali materia et hoc <est> quod quilibet experitur in se ipso Constat autem quod sermo metaphoricus est sermo representatiuus tunc enim est sermo metaphoricus quantum spectat ad propositum cum sermo significans aliquam rem ratione alicuius similitudinis accipitur pro illa re uel pro [] aliqua ut si uelim metaphoricè significare aliquem hominem esse prodigum possum dicere quod habet manus perforatas similiter autem et in aliis Ulterius est aduertendum quod interdum iudex quem orator habet persuadere est fatigatus et contristatus ex nimis diu audiuisse aliquos litigantes et tunc non potest bene intendere rationibus ipsius oratoris nec bene iudicaret de ipso et hoc est manifestum per experientiam Hiis premissis possumus dicere quod interdum licet oratori uti metaphoris quia illo sermone potest interdum uti orator per quem delectat iudicem et assistentes Hoc enim aliquando est expediens ipsi oratori ut manifestum est Sed hoc fit per sermonem metaphoricum decentem metaphora ut patet ex dictis Unde etiam Aristoteles dicit in littera in isto capitulo PROHEMIUM QUIDEM IGITUR quod homines magis attendunt propriis mirabilibus et delectationibus, quare etc. Ex hiis autem sequi uidetur quod oratorem debere interdum metaphoris uti contingit ex parte auditorum non ex natura rei scilicet questionis ciuilis de qua inquit et hoc etiam Aristoteles docet in isto capitulo PROHEMIUM QUIDEM IGITUR

Notandum autem est quod non solum propter delectationem auditoris habet uti rhetor metaphora sed aliquando propter euitationem obscenitatis seu inhonestatis ut si orator uellet aliquem coram iudice dicere filium meretricis melius esset dicere quod eius mater cotidianis nuptiis delectatur ut exemplificat Tullius in secundo sue Noue Rhetorice capitulo de translatione Similiter si orator uellet proponere iudici quod accusatus monstrauit alicui suum culum melius esset dicere quod ostendit ei circulum pudibundum aut aliquid huiusmodi simile et <in> istis casibus et simile tolerabile est oratorem uti metaphora Qualis autem debet esse metaphora qua utitur orator et que est maxime conueniens ei uidendum est in littera Aristotelis in illo capitulo QUONIAM AUTEM DetERMINATUM EST EX HIIS Ad primum argumentum potest dici quod aliter utitur rhetor metaphora et aliter poeta Nam poeta magis utitur metaphora ut proprio instrumento et ut in pluribus Rhetor uero non ut proprio nec principali instrumento sed quasi per accidens et quasi raro ut predictum est et iterum poeta fortassis potest uti metaphoris sumptis ex similitudinibus magis distantibus Rhetor uero metaphoris habentibus similitudines magis propinquas que cito et facilliter intellegentur huiusmodi enim magis delectant

Ad aliud potest dici quod oratio rhetorica in maiori sua parte debet esse clara sed in aliqua sui parte aliququaliter obscuritatem habere

Item, Non omnis metaphora habet obscuritatem sed illa que habet ortum ex similitudine remota siue distantia et tali non bene uteretur rhetor sed ea que sumitur ex similitudine propinqua que cito occurrit et apparet audientibus ut si accusator uellet aliquem occulte dicere inconstantem esse posset ipsum dicere esse sicut nauem nauigantem aut sicut gallum super campanile aut huiusmodi

Ad aliud dicendum quod licet rhetorica sit aliquo modo assecutiua dialectice tamen in aliquibus deficit ab ipsa ut uisum fuit in principio huius et quantum ad propositum spectat precipue Differt in hoc quod ipsa rhetorica negotiatur siue ratiocinatur circa materiam moralem ex qua possunt insurgere passiones in appetitu et //licet// ideo licet ei uti passionibus sermonibus loco et tempore Dialectica uero magis ratiocinatur de rebus speculabilibus ex quibus non insurgunt passiones in appetitu sensitio ideo etc Uel dicatur quod licet dialecticus principaliter et in pluribus non utatur metaphoris tamen potest eis uti

aliquando ad delectationem auditorum ut melius attendat sed non facit in quantum dialecticus sed in quantum poeta uel rhetoricus

#JAND[3 3

Consequenter potest queri utrum aliquem exprimentem mentis conceptum congrue contingat turpiter loqui

Arguitur quod non auctoritate Brisonis qui dicebat neminem turpiter loqui siquidem idem significat hoc per hoc dicere quasi diceret quod cum duo sermones significant idem unus illorum non potest esse turpis et alius pulcher, quare etc.

Oppositum arguitur auctoritate Aristotelis in littera ubi dicit sic "Non enim ut ait Briso loqui turpiter neminem hoc enim falsum est aliud enim alio magis proprium et assimilatum magis et conuenientius ad faciendum rem pre oculis" Putant nonnulli neminem posse turpiter loqui si per sermonem congruum conceptum mentis exprimit et propalat Quid? Itaque fortassis pulchritudines sermonis prorsus ignorant quod propter hoc nec ipsum laudare possunt nec contrarium uituperare Quod si uocabulorum et sententiarum ornationes uenustas agnoscerent ab hac puerili opinione protinus desistere cogentur Inquirant igitur ex Aristotelis dogmatibus perquisitis et ex clarissima gloriosi oratoris Tullii doctrina ex quibus et qualibus possit elocutio uenustari et aut eorum durities nequit correctionem recipere aut quam plurimos laudabiles delectabiles et honestos decores in sermonibus posse et debere uideri concedent Sed nunc eos ratione uincamus Si robustum corpus turpe et seruire esse contingit cur orationem congruam posse negabitur esse turpem? Amplius si orationem pulchram esse fatentur cur et turpem posse esse negabunt? Sed si pendo pulchritudinem ab orationibus prorsus adimant nullas omnino pulchras esse dicentes ueniat gradatio cum suis prioris et posterioris sociabus ueniat similitudo cum circumstantiis exercitus multitudine gloriosa et huiusmodi sui hostis faciem sanguine erubescens perfundant eumque sui temerarii in eas obloquii penitere compellant Adhuc si quilibet sane mentis suum corpus in quo brutis communicat cupit esse decorum cur uocem suam que conceptus intellectualis signum est proprium superfluum iudicat esse uenustam? Rursus queramus ab isto an hee uoces eque delectent et eque sint delectabiles et honeste hee sc "Tu Tite tute Tati tibi tanta tiranne tulisti et hee "que manet spes reliqua libertatis si illis et quod libet licet et quod licet audent et quod audent possunt et quod possunt faciunt et quod faciunt uobis molestum non est" et adhuc iste uoces quid differunt? "Cuius rationis ratio non est eius rationis ratio non est habere fidem" "Ei non multum potest obesse fortuna qui sibi firmius in uirtute quam in casu presidium collocauit At si quis equalitatem dignitatis et pulchritudinis istis uocibus attribuat aut omnes orationes pulchras esse affirmet turpem uero nec unam liceat ei non nisi cum crebra uocalium concursione et cum ridiculosa eiusdem sillabe aut dictionis repetitione frequenti omni prorsus elegantia compositione et schemate sublatis derisibiliter idiotare Nunc igitur quod intendi demonstrato quod obiectum fuit soluere restat Si itaque nos Brisonem errasse dicamus auctoribus Tullio Seneca Cassiodoro ceterisque philosophis qui sermonis pulchritudinem delectabiliter amplexi sunt consentientes in hoc nedum peccare credimus sed et sic opinantis fallaciam et sic opinantis errorem delemus Si uero Brisonem uolumus reuereri dicere possumus in materia speculabili sermonem eius quippiam ueritatis habere in hec enim precipue in mathematicis exornationum pluralitas non multum prodesse uidetur In humanis autem operibus tantum interest sic uel sic loqui ut de eadem re nedum uni et non alii credatur sed et unus et non alius ad bene agendum celeriter alliciat et turpitudinem mali et erroris faciat abhorrere Quod si cunctos quos sermonis decor allicit asseueres esse ignaros considera et te ipsum aliquando fuisse ignarum et ad instruendum ignaros philosophiam missam fuisse Presertimque nedum ignaros et humiles uti et duci uidemus sermonibus exornatis sed et uidemus sapientissimos et ad altissima solia sublimatos uiros in orationis elegantia compositione et dignitatibus plurimum gloriari Numquid enim et papa et cardinales et imperator et reges sibi inuicem scribentes magnam in exornatis epistule structura diligentiam iubent apponi? Si uero omnes istos superflue agere dicas satis est mihi te ad tante presumptionis excessum

incontradicibiliter produxisse Ut tamen iste error perfectius euellatur uolo hic breuiter sed non inutiliter adiungere illius uenustissimi et perutilis oratoris Tullii de eloquentia tractatum.